DE VERBIS

QUÆ IN

VETUSTISSIMA GERMANORUM LINGUA

REDUPLICATUM PRÆTERITUM EXHIBEBANT

THESIM

Facultati Litterarum Parisiensi proponebat

H. LICHTENBERGER

In Facultate Litterarum Nanceiensi colloquiis præfectus

NANCEII

TYPIS BERGER-LEVRAULT ET SODALIUM

MDCCCLXXXXI

ERRATA

Pagina VIII	linea 20	*pro*	, radicibus,	*lege*	radicibus.
2	6		*usalpanaizō,*		*usalþanaizō.*
4	1		*hāban,*		*hāhan.*
6	4		*fangen,*		*fangenn.*
7	1		*scaltan,*		*sealtan.*
8	9		*fanhidi,*		*fanhiδi.*
8	9		*fanhandi,*		*janhanδi.*
8	11		*hāhanhō(h)an,*		*hāhan hō(h)an.*
9	4		*haȥto,*		*haȥtō.*
9	9		ἐφωνεῖν.		φωνεῖν.
14	5		disinit,		desinit.
14	9		φώγειν.		ψώχειν.
19	17		gol.,		got.
22	7		dibilem,		debilem.
28	21		*spjald,*		*spiald.*
30	35		ἔσφαλμαι.		ἔσφαλμαι.
32	28		*spenja,*		*spenia.*
35	6		gothicum,		goticum.
39	6		*scheiterhansen,*		*scheiterhausen.*
39	15		*g. scindit,*		*ga-scindit*
39	22		indocuropæa,		indoeuropæa.
45	24		dirivata,		derivata.
45	35		*þūt,*		*þūt.*
47	6		dirivatum,		derivatum.
63	3		ex qua suadeo,		suadeo.
65	3		m̥, n̥,		m̥̄, n̥̄.
67	26		*steigh,*		*steȥgh.*
80	7		probalius,		probabilius.
83	6		*hrjóta,*		*hrióta.*
89	5		*hjalp... hjalpa,*		*hialp... hialpa.*
91	1, 28		*hjuggu(m),*		*hiuggu(m).*
91	30		*hjuggu(m).*		*hiuggu(m).*
92	30		præteritui,		præteriti.
93	15		*weolce,*		*weolc.*
95	4		**qe-qoide,*		**qe-qoide.*

PROŒMIUM

Veterrimi sermonis Germanici, universarum scilicet Germaniæ gentium antiquitus communis, monumenta nulla, quippe qui litteris nunquam mandatus fuisse videatur, adhuc exstiterunt. Legitimas igitur ac genuinas hujus sermonis formas, e quibus et gotica vocabula, nec non diutisca et saxonica deprompta apparent, in pristinam speciem restituere qui studeat, varias eum consimilium vocabulorum formas, quas ab uno fonte cadere dialectorum consensus demonstrat, repetere atque conferre necesse est. Linguarum autem studiosi, inter vetustiores Germanorum dialectos, sex præsertim secernere solent, quas rursus omnes sub duplici capite recensent, nempe:

a) Scandinavorum et Gotorum (*altnordisch* [1], *gotisch*) quas nonnulli « orientalis Germaniæ dialectos » (*ostgermanisch*) » vocant.

1. Scandinavorum lingua jam ante decimum sæculum post Christum natum in duas, deinde nova divisione in quattuor dialectos discessit, in dialectos scilicet Scandinaviæ occidentalis (*westnordisch*) quæ vulgo *altisländisch* et *altnorwegisch*, et dialectos Scandinaviæ orientalis (*ostnordisch*) quæ vulgo *altschwedisch* (*altgutnisch*) et *altdänisch* vocantur.

b) Anglosaxonum (*angelsächsich*) [1], Saxonum (*altsächsisch*), Frisonum (*altfriesisch*) [2] et diutiscæ gentis (*althochdeutsch*), quæ occidentalis Germaniæ dialecti (*westgermanisch*) nominantur arctioribusque vinculis inter se connectuntur.

Ex his dialectis una tantum, nempe gotica, verba servavit quæ præteritum per iterationem primæ syllabæ manifesto informatum præbent. Nam in ceteris Germaniæ dialectis reduplicata syllaba præteriti in congeneribus verbis non jam discerni potest; ex quo factum est ut hæc verborum classis ab iis verbis quæ dicuntur valida (*stark*) et quæ per apophoniam vocalis radicis informant stirpem, minime differat (3). Hujus classis quæ fuerint fata in germanica lingua describere nobis in animo est.

Sed prius quam materiam ipsam aggrediemur, non inutile futurum esse credimus si breviter exposuerimus qua via finem, ad quem hoc opusculum tendit, nos persecuturi simus.

I. In nulla Germanorum dialecto, ne in gotica qui-

---

1. Grammatici quattuor dialectos anglosaxonicas solent distinguere: *westsächsisch, kentisch, mercisch, northumbrisch.*

2. Dialectus quæ dicitur *ostfriesisch* antiquas frisicæ linguæ formas accuratius servavit.

3. Conjugationem *validam* sequuntur et verba quæ per apophoniam, et quæ per reduplicationem præteritum informant. Hanc tamen veniam expeto ut in hujus opusculi decursu singulas classes I, II, III, IV, V, VI verborum quæ per apophoniam vocalis radicis præteritum informant (*ablautende verba*), interdum, brevitatis causa vocabulis : « classis I, II, III cet. verborum validorum », notare liceat.

dem, quamquam vetustiores formas accuratius servavit, verborum formæ integræ manserunt, sed aut modice aut jam valde mutatæ apparent; strictis enim legibus immutantur consonantes et vocales, diversa tamen lege in gotica, in diutisca lingua, in saxonica et in frisica. In primo igitur capite describemus et enumerabimus formas verborum præteritum per iterationem primæ syllabæ informantium, et inquiremus qua lege vocabula in singulis dialectis mutata sint.

Postquam in quaque dialecto verba, quæ reduplicatum præteritum exhibent, in classes distribuimus, tum, collatis inter se congeneratis verbis, enucleandum erit quid sit peculiare singularum classium quæ in germanico sermone antiquiore erunt discernendæ. Quo melius legenti decursus nostræ disputationis appareat, exemplum proponemus. Goticum enim verbum *falþan* in primo capite contulimus cum consimilibus ejusdem linguæ verbis (velut *haldan, us-alþan,* cet.), ut, quid sit proprium hujus classis cujus *falþan* est particeps, inde patefiat; in altera autem parte conferemus cum congeneratis ceterarum germanicarum dialectorum verbis, nempe cum diutisco *faltan,* cum anglosaxonico *fealdan,* cet., ut pristinam formam hujus verbi restituamus. Qua comparatione non modo huic verbo sed et ceteris germanicis verbis admota, genuinas horum omnium formas restituemus, atque iterum inter se collatas in classes distribuemus; tum, præposterum ordinem consecuti, demonstrabimus quomodo ex illis genuinis,

quas extremum assecuti sumus, germanicis classibus rursus defluxæ sint singularum dialectorum classes a quibus disputatio nostra initium ceperat. Igitur:

II. In secundo capite, singulis verbis singulisque radicibus perlustratis, omnem hujus opusculi materiam in prompto habebimus.

III, IV. Quæ in superiore capite sic congesta fuerunt, in tertio et quarto tum ordinabuntur. In omnibus formis ad verbum pertinentibus discerni possunt: α) terminatio; β) derivativa syllaba, qua adjecta stirps fit e radice; γ) radix ipsa; δ) reduplicata syllaba quæ ad informandum præteritum usurpatur. E quibus elementis unum, scilicet terminationem (quæ ad rem non pertinet) omnino prætermittemus; syllabæ vero derivativæ et radici, cum in germanicis dialectis aliam ex alia vix segregare possis, uno eodemque capite (III) operam dabimus; denique de reduplicata syllaba quæ maximi momenti est in hac re, separatim disserendum erit (IV). Inde clarum fiet, hinc quomodo e germanicis (aut indoeuropæis), radicibus in quaque germanica dialecto stirpes et formæ variæ ad verbum pertinentes decurrerint, illinc quomodo reduplicata syllaba, quæ primitus cum stirpe non conjuncta erat, postea aut cum stirpe coaluerit aut omnino evanuerit.

DE VERBIS

QUÆ IN

VETUSTISSIMA GERMANORUM LINGUA

REDUPLICATUM PRÆTERITUM EXHIBEBANT

CAPUT I

Describuntur verba reduplicatum præteritum exhibentia, qualia in singulis Germanorum dialectis apparent.

Quinque classes verborum reduplicatum præteritum exhibentium cum gotica lingua servavit, tum Germanorum etiam sermo communis habuisse videtur. Etenim in goticis verbis præsentis stirps aut vocalem *ă* brevem, aut diphthongum *ai* seu *au*, aut vocalem *ō* promissam, seu *ē* promissam exhibet.

I. — A. — Got. *haldan* p. *haihald;* germ. **haldanan* p. **he-halde.*

II. — AI. — Got. *haitan* p. *haihait;* germ. **haitanan* p. **he-haite.*

III. — AU. — Got. *aukan* p. *aiauk;* germ. **aukanan* p. **e-auke.*

IV. — Ō. — Got. *blōtan* p. *baiblōt;* germ. **blōtanan* p. **be-blōte.*

V. — Ē. — Got. *lētan* p. *lailōt;* germ. **lētanan* p. **le-lōte.*

I

A verbis ordior quæ in præsentis stirpe vocalem *ă* brevem exhibent, subjectis duabus consonantibus quarum prima nasalis *n* aut liquida *l* esse solet.

a) In gotica lingua vocalis germanica *ă* in præsentis stirpe servatur integra.

Us-alþan (ἅπ. λεγ. *þō usweihōna swē usalþanaizō spilla* « τοὺς βεβήλους καὶ γραώδεις μυθοὺς. » Lb. ad T. 4, 7); *falþan* « πτύσσειν »; *haldan* « βόσκειν τι, ποιμαίνειν » ; *and-staldan* « χορηγεῖν τινί τι, παρέχειν τι »; *waldan* « ἀρκεῖν »; *saltan* « ἁλίζειν ».

Blandan « συναναμίγνυσθαι »; in verbis *gaggan* « ἄγειν, ἐξέρχεσθαι, πορεύεσθαι », *anapraggan* « θλίβειν » biconsonam *ng* scribæ per *gg* efferunt; incertum est an gotica lingua verbum *us-staggan* adhibuerit (imperativus : *usstagg ita* « ἔξελε αὐτόν » ἅπ. λεγ.); in ceteris enim Germaniæ dialectis verbum germanicum **stingō* non **stangō* occurrit; quare Uppström et Bernhardt *usstagg* mendam scribæ esse arbitrati sunt et in *usstigg* mutaverunt.

Fāhan « πιέζειν » et *hāhan* « αἴρειν » germanicis verbis **fanhanan* **hanhanan* respondent; nasalis enim *n*, insequente consona *h* (indoeur. *k*), cadit et vocalis antecedens ex brevi longa efficitur. v. Brugmann, *Grundriss*, I, § 214.

Ut præsens, ita præteritum per iterationem primæ syllabæ informatum et participium præteriti eamdem vocalem *ă* in stirpe exhibent.

P. *faifalþ* L. 4. 20; *gastaistald* Neh. 5. 16; *gastaistaldjau* Lb. ad K. 9. 19; *faifāh* I. 8. 20 *gafaifāhun* R. 9. 30; *gafaifāheina* L. 20. 20, I. 7. 32; *ushaihāh* M. 27. 5.

P. p. *us-alþans* cet.

b) In diutisca lingua (*althochdeutsch*) ut in gotica, vocalis *ă* brevis in præsentis stirpe apparet; consonantes plerumque substitutione illa consonantium in septimo sæculo exacta, cui Jacobus Grimm nomen dedit *Lautverschiebung*, mutatæ apparent.

Faldan (*faltan*) « plicare, plectere » ; *falzan?* « striare » ; *haltan* « tenere » ; *scaltan* « ducere navem, declinare » ; *spaltan* « findere » ; *waltan* « dominari, regnare » ; *salzan* « sallere » ; *walzan* « volvi » ; *fallan* « cadere, labi » ; *wallan* « scatere, fervere » ; *walchan* « volvere, comprimere » ; mhd. *halsen* « amplecti ».

Bannan « citare, indicere » ; *blandan* « miscere » ; *spannan* « tendere » ; *gangan* « ire ».

Fāhan « capere, tenere, rapere » ; *hāhan* « suspendere, figere ».

Participium præteriti eamdem vocalem *ă* atque præsens exhibet : *gifaldan* (*gifaltan*) cet.

Syllaba reduplicata præteriti quam gotica lingua integram servaverat, in diutisca lingua evanuit, ita ut præteriti signum jam non iteratione prioris syllabæ constiterit, sed, ut in plerisque verbis validis, apophonia vocalis in media stirpe positæ. Vocalis *a* quam gotica præterita præbent in *ē* promissam commutata apparet. Quæ vocalis *ē* a veterrimis scriptoribus integra servata (1), octavo sæculo exeunte in *éè*, id est *ea* (2), deinde, nono sæculo in *ia* (3), postremo in *ie* immutata fuit. Nonnunquam etiam evenit ut ex *ē* non *éè*, sed contra *èé*, id est *ei* exstiterit, velut in *bi-heilt*, *biheialt?* « servavit », *int-pheing* « accepit », *untar-feille* « intercidit ». Raro apparet *ī* pro *ie*, ut in *fīnc* « cepit », *fīl* « cecidit ». v. Braune *Ahd. Gramm.*, § 35 ; Singer, *Beitr.* XI, 293 sqq.

P. *fielt*, *hielt*, *scielt*, *spielt*, *wielt*, *sielz*, *wielz*, **wielch*, mhd. *hiels*, ahd. **bliend gieng*.

Verba quorum præsentis stirps in geminam *nn*, *ll* desinit, in præteriti stirpe simplicem consonam præbent : *fiel* pl. *fielun* ; *wiel* pl. *wielun* ; **bien* pl. **bienun* ; *spien* pl. *spienun*. V. Graff, III, 456, sqq. ; I, 798, sqq. ; VI, 346, sq.

---

1. Parisinæ Glossæ, Glossæ Keronis, Vocabularius Sti Galli, Primum Glossarium ex Reichenau, Francofurtenses Glossæ (Fragmenta theotisca).

2. Fragmenta theotisca, Isidorus, Secundum Glossarium ex Reichenau, Muspilli, Otfrid.

3. Tatianus, Carmen de rege Ludovico, Confessio moguntiaca.

Ex verbis *fāhan* et *hāhan* præterita *fieng* et *hieng* declinantur. Tempore quo consonantes indoeuropææ substitutione illa consonarum quæ vulgo *Lautverschiebung* dicitur nondum immutatæ erant, verbum **pankō* præteritum **pe-pá(n)ke* exhibebat; in plurali autem numero et participio præteriti, accentus e stirpe in terminationem cadebat : **pe-pankumé*, **pankanás* (1). In primo jam ævo germanicæ linguæ, e tenuibus consonantibus spirantes factæ sunt, sicut regula substitutionis consonantium postulat : **fanhō*, p. **fe-fánhe*, pl. **fe-fanhumé*, p. p. **fanhanás*. Deinde, servatis iis spirantibus quæ vocali acutæ subjectæ erant, ceteræ, ut Karolus Verner docet, nova substitutione in medias versæ sunt : **fanhō*, **fefanhe*, **fefangume*, **fanganas*; **hanhō*, **he-hanhe*, **he-hangume*, **hanganas*. Ut in gotica lingua præteritum *faifāh*, *faifāhun*, analogiæ lege in similitudinem præsentis raptum, semper spirantem consonam præbet, ita in diutisca singularis numerus præteriti analogiæ pluralis obtemperavit et consonam mediam adeptus est : *fieng hieng* cf. *fiengun hiengun*. Præteritum *fieng* aliquando etiam analogiam præsentis *fāhan* secutum est, ita ut, ejecta nasali consona *n*, formas præbuerit : *int-fiegun*, *int-phiec*, *phiegin*, *int-phiegena*. — v. Braune, *Ahd. Gramm.*, § 350; cf. *Beitr.* VI, 544. Eadem lege qua *n(h)* et *ng*, alternant vices media *d* (pro spirante germ. þ) et tenuis *t* (pro media germ. *d*) in *faldan* (germ. **fálþanan*) et *gi-faltan* (germ. **falþanás* : **faldan(a)s*; sed analogiæ lege etiam præsens *faltan* et participium *gifaldan* orta sunt.

Animadvertendum est denique vocalem *ē*, quam stirps præteriti præbet, primitus non promissam, sed apud antiquiores auctores brevem fuisse. Translatio Isidori et Fragmenta theotisca, ubi *ē* vocalis jam in *ea* semper commutata apparet, formas præbent : *fenc*, *fengun*, *fengin*; *genc*, *kenk*, *gengun*, *kengun*; *henc*. v. *Beitr.* I, 507; inde patet hanc vocalem non promissam

---

1. De vocali radicis hujus verbi vide infra, p. 88. In plurali numero præteriti videtur vocalis *ă* (pro *ŭ*) analogiæ lege, ad exemplar singularis numeri, exstitisse.

ut in *forleaz, scead, heaz,* cet., sed primitus brevem, deinde porrectam fuisse. Quo pacto ex brevi vocali longa facta fuerit videbimus infra (p. 90).

c) In Saxonum lingua quam ex poemate quod inscribitur *Hēliand* præsertim novimus, ut in diutisca, vocalis *ă* brevis in stirpe præsentis ac participii, *ē* promissa ac deinde *ie* in præteriti stirpe occurrit.

Pr. *haldan* « custodire, tenere » ; *waldan* « regnare » ; *skaldan* « ducere navem » ; *fallan* « cadere, labi » ; *wallan* « scatere, fervere » ; **blandan* « miscere » ; *gangan* « ire » ; *fāhan* « capere » ; **hāhan* « suspendere, figere ».

P. p. *gi-haldan, ant-fallan, gi-blandan, gi-fangan, bi-hangan.*

P. *hēld ; wēld ; fēll. H.* 2208 (*Cott.*) *fēl.* 2391, 3344, 2395, 2406, pl. *fēllun ; wēl H.* 4869, 3688 *wēll H.* 4882, pl. *a-wēllun H.* 4074 ; *fēng ; gēng.*

Quæ vocalis *ē*, in præteriti stirpe, primitus non promissa, sed, ut in diutisca lingua, brevis fuisse videtur. Dum enim Monacensis codex vocalem *ē* ut in vocabulis *hēr, mēda, andrēd, lēt, hēt,* cet., ita etiam in præteritis *hēld, fēng,* cet., usurpat, Cottunianus contra, in *hēz, mēda,* cet., vocalem *ē* promissam plerumque in diphthongum *ie* commutat, ita ut in XIX vocabulis *ē* servetur, in CLIII *ie* appareat, in præteritis vero *held, feng,* cet., *e* in CXXX locis, *ie* in XXIV tantum inscribatur. Ex quo patet vocalem *e* in præteritis *hēt, lēt,* cet., longam, in *hĕ̄ld, fĕ̄ng,* primitus brevem fuisse, deinde, analogiæ lege porrectam fuisse. v. Sievers, *Beitr.* I, p. 506.

d) Lingua Scandinavorum in præsente ac participio præteriti germanicam vocalem *ă* aut plerumque servavit, aut aliquando, subjecta consona *g*, in *e* aut *i* commutavit. — v. Noreen, *An. Gramm.*, §§ 61, 1 ; 66, 3.

Pr. *falda* « plicare, caput tegere » ; *halda* « custodire, tenere », *valda* « regnare » ; *blanda* « miscere » ; *ganga* (*gd*) « ire » ; præsens *hanga* « suspendi » analogiæ lege ex participio *hangenn* ortum est ; *velta* « volvi » ad primam classem verborum valido-

rum, præteritum per apophoniam informantium, *banna* « bannire » ad conjugationem debilem transiit.

P. p. *aldenn* « vetus », *faldenn, haldenn, valdenn, blandenn, hangenn ; fangenn/fengenn, fingenn ; gengenn, gingenn.*

Præteritum jam non per iterationem primæ syllabæ sed per apophoniam informatur :

1. Vocalem *e* exhibent : wn. *fell* (aschw. *fæl*) ; *felt, fell* (ex **felþ*) ; *helt* (aschw. *hælt*) ; *blett ; hekk, fekk* (on. *fæk*) ; *gekk* (on. *gæk*). In plurali numero vocalis *e*, vicina syllaba vocalem *u* præbente, per fractionem (*Brechung*) in *io* verti solet (v. Noreen, *Grundriss d. d. Phil.*, I, 5, 4, § 27) ; ita informata sunt præterita on. *fiollo, hioldo*, ex quibus, analogiæ lege etiam in singulari numero formæ *fial fiol hiolt*, ortæ sunt. In lingua Scandinaviæ occidentalis vocalis *e* ut in singulari, ita etiam in plurali numero apparet : *fello(m), feldo(m)*, cet.

Vocalem *e* in stirpe præteriti primitus brevem fuisse docuerunt Gislason et Sievers, v. *Beitr.*, I, 505. Nec vocalis *e* postea, ut in diutisca et saxonica lingua porrecta fuisse videtur. In sermone quidem recentiore Islandorum occurrunt formæ *féll, hélt*, id est *fjäll, hjält*, cet. ; neque porro diffitendum est ex vocali *ē* promissa plerumque in sermone Islandorum *é, è* (*jä*) fieri. Sed vocalem *ĕ* brevem consonæ *g* subjectam (velut in *geta* « obtinere ») Islandus etiam in *jä* mutat (*gjäta*) ; ita ut præterito an. *gĕkk* aptissime respondeat isl. *gjäkk ;* unde formas *fjäll, hjält*, cet., analogiæ lege ortas esse fortasse existimabis. — v. Hoffory. *K. Zs.*, XXVII, 602.

2. Vocalem *i* præbent : wn. on. *fingo, gingo*, on. *fik, gik.*

3. Vocalem *a :* on. *fal(l)* ; *valt ;* neuschw, *hiælt.*

4. Vocalem *u :* on. *full, hult*, pl. *fullo, huldo ;* quæ nonnunquam in *o* per periphoniam (*a. umlaut*) vertitur, velut in aschw. *fol(l)*, pl. *holdo*, wn. pl. *oldo.*

e) In Anglosaxonum lingua, vocalis germanica *ă* in *ea* mutatur sequente liquida *l*. Fractionem illam in Northumbriæ dialecto vocalis *a* non patitur, neque in *ea* sed in *ā* immutata apparet (*fāllan, hāldan*, cet.) v. Sievers, *Ags. Gramm.*, § 158, 2.

Pr. *fealdan* « plicare », *healdan* « custodire, tenere », *stealdan*

« possidere » ; *wealdan* « regnare » ; *sealtan* « sallere » ; *wealtan* « volvere » ; *feallan* « cadere labi » ; *weallan* « scatere, fervere » ; *wealcan* « volvere, comprimere ».

Subactis duabus consonis, quarum prima nasalis *n*, ex vocali *a* fit *o*, quæ a veterioribus auctoribus per *a*, deinde, nono sæculo per *o* effertur. v. Sievers, *Ags. Gramm.*, § 65 : pr. *bannan* (*bonnan*) « bannire », *blandan* (*blondan*) « miscere », *gangan* (*gongan*) « ire ». In Northumbriæ dialecto ex *o*, sequente palatali *g*, *eo* fit : ita verbo *gongan* respondet in hac dialecto *geongan*. — v. Sievers, *Ags. Gramm.*, § 157, 4.

In germanicis verbis **fanhanan *hanhanan*, **fāhan *hāhan*, ubi *ā* nasalem sonum adepta est, vocalis *ā* in *ō* immutatur : **fōhan *hōhan ;* quæ formæ deinde in *fōn*, *hōn* coaluerunt. v. Sievers, *Ags. Gramm.*, §§ 67, 115, 374, *anm.* 1, 2.

Vocalem *e* præbet infinitivus *gengan* (ἅπ. λεγ.) Andr. 1097.

Præteritum per apophoniam informatum, diphthongum *eo* aut vocalem *e* brevem in stirpe exhibet.

1. *Eo* præbent : *feol(l)*, *weol(l)*, *feold*, *heold*, *steold*, *weold*, *seolt*, *weolt*, *weolc*, *geong*, *speonn*. Verba *spanan spon(n)an* « allicere » et *weahsan* « crescere » quæ secundum sextam classem verborum validorum flectuntur, præteritum *spōn* aut *speon (speonn)*, *wōx* aut *weohs* præbent. — v. Sievers, *Beitr.* IX, p. 284 ; Cosjin, *Wests.*, *Gramm.* II, p. 141, 146.

2. *e* nobis occurrit in *geng spenn* Genesis 626, 834, 445 ; quas formas, ut permultas alias in Genesi quæ ex saxonica lingua in anglosaxonicam translata est, non anglosaxonicus sed potius saxonicus sermo usurpabat.

Mirum videtur præterita *feng*, *heng* et *blend* vocalem *ĕ* servavisse, cum in *geong*, analogiæ lege *e* in *eo* mutata sit ut in *heold*, *feoll*, cet.

Addendum est linguam anglosaxonicam recentiorem nonnunquam *e* et *eo* sine discrimine usurpavisse : ita undecimo sæculo præterita *held*, *leot* « permisit », *heot* « vocavit » in vicem veteriorum præteritorum *heold*, *lēt*, *hēt*, aliquando successerunt. — v. Kluge, *Germ. Conj.*, p. 98, sqq.

3. Verbum *gongan* aliquando præteritum debile *gengde, gende* aut per apophoniam informatum: *gang,* pl. *gungan* (*gangan*) præbet. v. Bosworth-Toller, *Ags. Dict.*

f) In frisica lingua præsentis stirps vocalem *a* germanicam plerumque servavit (*halda* « tenere, custodire », *walda* « regnare », *falla* « cadere », *walla* « scatere, fervere »), sed, sequente consona *n* in *o* aut *u* commutavit: *bonna* (*banna*) « bannire », *gunga* (*unga*) « ire », 3 s. *gangth gength* aut *bi-guncht gunth.* Verbum germanicum **fanhanan,* 3 s. **fanhiđi* pl. **fanhanđi,* opt. **fanhai,* in *fá* « capere », 3 s. *fēth,* pl. *fāth* opt. *fē*; verbum **hanhanan* in **hāhanhō*(*h*) *an,* **huā* « suspendi », ger. *to hwande* coaluit; v. van Helten, *Beitr.* XIV, 239 sqq.; verbum **spanna* **sponna* « tendere », p. *spande* ad debilem conjugationem transiit.

Præteriti stirps vocalem *e,* ut videtur, brevem exhibet, quam dialectus provinciæ Rüstringen in *i* commutat. V. Gunther: *Die Verba im Altostfries.*; cf. Siebs, *Beitr.* XI 232: opt. *fori-felle*; p. *helt* pl. *helden hildon,* opt. *helde hilde*; pl. *wildon*; p. *ben* pl. *bennon bennen* (etiam *bonden*); p. *geng* pl. *gengin gingen*; *feng*; *heng,* aut (semivocali *w* post *h* addita et analogia præsentis **hwā* juvante) *hweng.*

Participium præteriti, addito elemento *-ana-* (afr. *an, on, en*) aut *-ina-* (afr. *in en*) informatum, aut vocalem radicis integram servat, aut, sequente elemento *-ina-* vocalem *a* per periphoniam (*i. umlaut*) immutatam exhibet. — v. Günther, *Die Verba im Altostfr.*, p. 8 sq. Van Helten, *Altostfr. Gramm.*, § 267, δ. Præbet igitur stirps participii verborum primæ classis *a* aut *e,* secundæ classis *ā* aut *ē,* tertiæ ac quartæ *ō* aut *ē.*

P. p. *e-fallin, -en*; *e-haldin, -en*; *e-bonnan, -en* (etiam *bon*(*ne*)*d, ur-bond*); *e-fangen, e-fen*(*d*)*-sen, -szen, fengen*; participium *e-fēn, ge-fēn,* ex **fenhina-* ortum, aspiratam (*n*)*h* sicut præsens præbet; in cujus vicem media *ng* in præterito et participio succedere solet (cf. *feng,* (*e*)*fangen*); ex verbo **hwā* participium *hwendzen* informatum est, in quo semivocalis *w* falsæ analogiæ lege, ut in *hweng,* post *h* addita est.

II

Verba quorum præsentis stirps diphthongum *ai* sequente consona exhibet, ab iis minime distant de quibus supra disseruimus. Etenim elementum *i̯*, in germanica diphthongo *ai̯* non vocalis sed potius consonantis vim habet, ita ut stirps verbi **hai̯tō* « voco » pariter ac verbi **haldō* « teneo », biconsonam vocali *a* subjectam præbeat.

a) Gotica lingua diphthongum *ai* in præsentis participii et præteriti stirpe pariter usurpat. pr. *af-aikan* « ἀρνεῖσθαι » ; *fraisan* « πειράζειν » ; *haitan* « ἐπικαλεῖν, καλεῖν, φωνεῖν » ; *laikan* « σκιρτᾶν » ; *maitan* « κόπτειν τι » ; *skaidan* « χωρίζειν, διχάζειν, χωρίζεσθαι » ; *gaþlaihan* « παρακαλεῖν ».

P. p. **aikans, fraisans,* cet.

P. *afaiaik* M. 26, 72, Mc 14, 68, J. 18, 25, 27. *usfaifraisi* Th. 3, 5. *haihait* M. 8, 18, cet. *andhaihaist* T. 6, 12. *haihaitun* M. 10, 25, cet. *andhaihaiti* J. 9. 22. *afmaimait* Mc. 6, 16 cet. *maimaitun* Mc. 11, 8. *afskaiskaid* Gal. 2, 12. *afskaiskaidun* L. 9, 33.

b) In præsente verborum secundæ classis diphthongus germanica *ai* in *ei* diutisce vertitur ; præteriti stirps, per apophoniam informati, vocalem *ē* promissam præbet quæ in *ea ia ie* aut etiam raro in *ei* (*uz-sceit, ca-heiz*) commutatur. (Cf. supra, p. 3.)

Pr. mhd. *eischen* « poscere », ahd. *heizan* « vocare, vocari », *meizan* « scindere, incidere », *sceidan* « separare, discernere », *sweifan* « volutare, nectere », *zeisan* « carpere, divellere ».

P. p. mhd. *ge-eischen,* ahd. *ga-heizan, ga-meizan, ga-sceidan* (*-sceitan*). cet.

P. mhd. *iesch,* ahd. *hiez miez scied swief zies.*

c) In Saxonum lingua mutatur germanica diphthongus *ai* in vocalem *ē* promissam, quam etiam præteriti stirps præbet. Interest tamen hæc distinctio inter præsentis et præteriti vocales quod hanc (velut in *hētan*) Cottunianus codex semper integram servat, illam contra (velut in *hēt*) in diphthongum *ie* plerumque vertit.

Pr. *hētan* « vocare, vocari », *skēdan* Cott. *skēthan* « separare, discernere ».

P. p. *hētan giscēthan.*

P. *hēt* (*hiet*); *scēth, under-sciethon, under-schīd; for-swēp* « depulit », H. 1108.

d) Scandinavorum lingua diphthongum *ai* in *æi* commutat, unde : anorw. *æi*, aisl. *ei*, agutn. *ai*, aschw. adän. *ē*. — v. Noreen, *Grundriss d. d. Phil.*, I, p. 449.

Pr. urn. **hæita*, wn. *heita* on. *hēta* agutn. *haita* « vocare » ; wn. *leika* on. *lēka* « ludere, moveri » ; wn. *sweipa* « jacere, involvere, sepire, percutere ».

P. p. wn. *heitenn leikenn sveipenn eikenn* « ferus » cet.

Præteriti stirps modo germanicam diphthongum *ai* (wn. *ei* on. *ē*) modo vocalem *ē* aut *ī* præbet.

ai — : wn. *heit*, on. *hēt* ; wn. *sveip* ; aschw. *lēk.*

ē — : wn. *hēt lēk*, on. *hǣt lǣk.*

ī — : wn. *hīt*, agutn. *hīt.*

e) Anglosaxonica lingua diphthongum *ai* in *ā* commutat.

Pr. *hātan* « vocare, vocari » ; *lācan* « saltare, ludere, sacra facere »; *scādan sceádan* (1) « separare, segregare »; *swāpan* « verrere » ; **swāfan* « celeriter moveri » ; *blātan* « livere, pallere » ; *hnātan* « percutere, tundere », p. p. *hāten lācen*, cet.

Præteriti stirps, per apophoniam informati, cum vocalem *ē* promissam (*hēt* **lēc scēd blēt*) cujus in vicem aliquando, undecimo sæculo, *eo* succedit (*heot sceot*; cf. supra, p. 7), tum diphthongum *eó* (*gesweóp* ; v. Cosjin, *Ws. Gramm.*, II, §, 102, 4 ; *forsweóf* ἅπ. λεγ. *Beówulf* 2815 ; *bleót, hneót*, v. Bosworth-Toller, *Ags. Dict.*) præbet. Præteritum *sceád* eamdem vocalem quam præsens exhibet.

Northumbriæ dialectus paucas formas vetustioris præteriti per iterationem primæ syllabæ informati servavit : *he-ht* et *leo-lc* ; in quibus, salva reduplicata syllaba, vocalis radicis evanuit.

---

1. Vocalis *ā* palatali consonæ *c* subjecta in *eá* nonnunquam mutatur. — v. Sievers, *Ags. Gramm.*, § 76.

f) In Frisonum lingua paucæ tantum supersunt formæ verborum ad hanc classem pertinentium : **hēta* « vocare, vocari », opt. *hēta,* p. *hēt.,* pl. *hēten, hīt* pl. *hīton* (Rüstringen) et **swēpa* « verrere » (dat. *suepene,* Richthofen, p. 1058) ; verbum *skētha* « separare, segregare, p. p. *skēth* analogiæ verborum debilium obtemperavit.

III

Ut in germanica diphthongo *aį*, į, ita ų in diphthongo *aų* non vocalis sed potius consonantis vim habet. Itaque verba quorum præsentis stirps *aų* sequente consona exhibet, cum iis verbis coæquanda sunt de quibus supra tractavimus.

a) In gotica lingua exstant formæ : pr. *aukan* « προστιθέναι » ; *stautan* « τύπτειν, ῥαπίζειν », **hlaupan* (part. pr. *us-hlaupands* Lb. ad Mc. 10, 50 « ἀναπηδήσας », ἅπ. λεγ.), p. *anaaiauk* Sk. 48, 12. L. 20, 11, 12. L. 3, 20.

b) In diutisca lingua diphthongus *au* aut subjectis consonis *d, t, z, h, r, l* in vocalem *ō* promissam coalescit (*scrōtan* « demere, eripere, tondere », *stōzan* « percutere, tundere ») aut, sequente consona vel labris vel gutture pronuntianda, integra servata a vetustioribus scriptoribus, deinde, nono sæculo per diphthongum *ou* edita est (*hlaufan loufan* « currere », *houwan* « concidere, occidere, dolare »).

Præteriti stirps diphthongum germanicam *eu* exhibet, quæ in diutisca lingua per fractionem (*brechung*) primum in *eo,* nono sæculo in *io* aut apud Otfridum in *ia,* postremo, decimo scilicet sæculo in *ie* versa apparet : *leof liof liaf lief, hio* pl. *hieuun* (Tatianus) ; *screot, screod, steoz.*

In Germaniæ superioris dialecto, diphthongus *eu,* subjecta consona labris proferenda, fractionem non patitur et in *iu* commutatur, velut in *liuf, liufi, liufen ; hiu hiuuuen* (Notker). — v. Braune, *Ahd. Gramm.,* §§ 47, 48, 354 ; cf. *Beitr.* IX, 525.

De formis *kiskrerot steroz sterozun* quæ nonnunquam vestigia

vetustioris præteriti per iterationem primæ syllabæ informati servavisse habitæ sunt, in capite IV fusius tractabimus (v. p. 80 sqq.).

Saxonica lingua ut diutisca germanicam diphthongum *au* in *ō* vertit; præteriti informatio pæne eadem est in una atque altera dialecto, cum ea diphthongus *eu* in utriusque stirpe usurpata sit quæ per fractionem in *io* (*ie*) commutata apparet.

Pr. **ōkan* « augere »; **hlōpan* (*loupan* Ps.) « currere »; *stōtan* « percutere, tundere ».

P. p. *ōkan* « gravidus », *testōtan* Gl. L. 129.

P. *a-hliopun* H. 4857, *ana-liepon* Ps. Gl., *lief* Ps. Gl.

De verbo **hauwan* **hawan* formæ exstant : p. p. (*bi-*, *gi-*) *hauwan, far-hawan,* p. *gi-heu* H. 2808, 5739, 4879, 4983 pl. *heuwun* (*Hildebrandslied,* 66).

Scandinavorum lingua diphthongum *au* in *ǫu* vertit (wn. *au* on. *ø* agutn. *au*).

Pr. **hlǫupa* « currere », aisl. *hlaupa,* anorw. *laupa* on. *løpa* agutn. *laupa,* wn. *ausa* « haurire » *auka* « augere », *bauta* « verberare »; e germanico verbo **hauwanan,* mutata biconsona *ww* in *ggv* et vocali *a* in *ǫ* per periphoniam (*U. umlaut*) versa, factum est wn. *hǫggva,* on. *hugga hogga,* agutn. *haggva.*

Præteriti variæ nobis occurrunt formæ, videlicet :

1. Wn. *hliόp* on. *lop lop*(*p*) aschw. adän. *læp* pl. wn. *hliόpu*(*m*) (anorw. *liupu*) *hlupu* on. *lupu.*

2. Wn. *iόs, iόsu iusu; iόk iόku iuku* opt. *yka yki øka jyki.*

3. *Bauta* secundum conjugationem debilem præteritum informat: *bautaða.*

4. Wn. *hiό* (3. s. *hiogge* nonnunquam pro *hiό* usurpatur) pl. *hiuggo*(*m*) *hioggu*(*m*); on. *hio hiog*(*g*) *hiug*(*g*) *hugg,* pl. *huggo.*

e) In Anglosaxonum lingua commutatur diphthongus germanica *au* in *eá;* præteriti stirps diphthongum germ. *eu* ags. *eό* exhibet.

Pr. *beátan* « verberare », *breátan* « frangere », *heáwan* « concidere, occidere », *hleápan* « currere ».

P. p. *beáten heáwen hleápen eácen* « auctus, magnus, gravidus ».

P. *beόt breόt heόw hleόp; præteritum a-hneόp* (ἅπ. λεγ.) a

verbo *hneópan* (?) « carpere » (cf. got. *dis-hniupan* « διαῤῥηγνύναι τι ») declinatum, Ettmüller in *hneáp* mutandum esse conjicit. Utrum præteritis *geneóp*? *onreód* « imbuit » præsentia **geneápan* **onreádan* an **genōpan* **onrōdan* respondeant, incertum est; v. *Beitr.* IX, 287. A verbo *heófan* quod secundum validam, aut *heófian* quod secundum debilem conjugationem flectitur, præteritum **heóf* pl. *heófun* aut *heófdun* declinatur. — v. *Beitr.*, IX, 278.

f) In Frisonum lingua pauca verba tertiæ classis supersunt, videlicet:

Pr. *hāwa* « concidere, occidere », *hlāpa* « currere », *stēta* « percutere, tundere » (quod in debilem conjugationem transiit).

P. p. *hā(u)wen; e-hlēpen lēpen; truchstēten; āken* « magnus, gravidus ».

P. optativum *hliope* dialectus Frisiæ occidentalis servavit.

IV

Ad verba transimus in quibus germanica vocalis *ō* ad informandam præsentis stirpem usurpatur [1]; quæ aut per vocalem ipsam *ō*, aut per semivocalem *w*, aut per consonam desinit, aut etiam addito elemento *j* informatur. In vocabulis quorum stirps in *ōw* desinit, semivocalis *w* aut jam in lingua indoeuropæarum genitrice, aut saltem in germanica antiquiore ante consonam cecidit. Semivocalis *j* germanice eamdem vim habet atque consona.

a) Gotica lingua vocalem *ō* ante consonam positam integram servavit, ut docent exempla: pr. *blōtan* « σέβεσθαί τινα, λατρεύειν », *hwōpan* « καυχᾶσθαι », p. *faiflōkun* L. 8, 52 « ἐκόπτοντο », *hwaihwōp* K. 7, 14; *wōpjan* « βοᾶν κραυγάζειν χράζειν » (p. *wōpida*) analogiæ verborum debilium obtemperavit.

---

1. Ex qua indoeuropæa vocali germanica ō in verbis quartæ classis orta sit, vide infra (p. 70 sqq.).

Incertum est an gotica lingua verba pura, id est radicem in vocalem *ō* desinentem præbentia, exhibuerit; nam præterito *lailōun* ἅπ. λεγ. J. 9, 28 « ἐλοιδόρησαν » aut præsens **lōan, *lōjan* aut etiam **laian* respondet (vide infra, p. 19, 57, 71).

Verba quorum præsentis stirps in *ōw* desinit, mutata *ōw* in *au* ante vocalem, ad conjugationem debilem transierunt: *bauan* « οἰκεῖν » p. *bauaida* (cujus tamen verbi tertia s. præs. persona *bauiþ* secundum validam conjugationem informata est); *trauan* « πεπεῖσθαι, πεποιθέναι » p. *trauaida; *bnauan* « ψώχειν » (p. præs. *bnauandans* L. 6, 1. ἅπ. λεγ.); verbum **stōw-j-an* p. **stōw-i-dō,* got. *stōjan stauida* præsentis ac præteriti stirpem addito elemento *j* ante vocalem, *i* ante consonam terminationis informat; ut *stōjan*, flectitur **mōjan* « fatigare » p. p. *afmauidai* Gal., 6, 9(1).

b) Diutisca lingua vocalem *ō* ante consonam ut ante vocalem positam in diphthongum *uo* pariter commutat.

1. Verba quorum præsentis stirps vocalem *ō* sequente consonante præbet, secundum validam conjugationem flectuntur et in præteriti stirpe, per apophoniam informata, eamdem diphthongum germanicam *eu* (ahd. *eo io ie,* obd. *iu*) quam verba tertiæ classis exhibent.

Pr. *bluozan* « sacrificare » ; præsentibus *hruofan ruofen* « clamare », *wuofan, wuofen* « flere, plangere » respondent in germanica lingua præsentia addito elemento *j* informata, **hrōpjanan, *wōpjanan* nec dissimilia præsentibus debilibus **nasjanan* « nutrire » aut **sōkjanan* « quærere » : inde, analogiæ lege, ex uno verbo duo facta sunt quorum unum secundum validam conjugationem flectitur (*hruofan wuofan*), alterum secundum debilem (*hruofen wuofen* p. *hruofta wuofta*).

P. p. *gi-bluozan, gi-ruofan, gi-wuofan; ar-fluahhan far-fluahhan* « maledictus ».

---

1. Verbum **daujan? *dōjan?* (p. p. *afdauidai* « ἐσκυλμένοι, ἅπ. λεγ.) non ex verbo per iterationem primæ syllabæ præteritum informante, sed ex germanico **daw-j-an *dōw* quod secundum sextam classem verborum validorum flectebatur, ac deinde ad debilem conjugationem transiit, ortum est.

P. *(h)reof, weof, *bleoz* (pl. *pleruzzun* opt. *capleruzzi;* v. infra, p. 80 sqq.).

2. Verba pura, quorum radix in vocalem desinit, secundum conjugationem debilem omnia flectuntur et præsentis stirpem addito elemento *j* informant. E germanico verbo **mōjan* pr. 1. **mōju*, 2 **mōjis* cet. postquam elementum *j* ut in *suochen suochu suochis* cet. (pro **sōkjan, *sōkju* cet.) post syllabam longam cecidit, ortæ sunt formæ : ahd. *mōen* (*muoen muaen muohen*) « agitare, fatigare, affligere » pr. 1. **mōu*, 2 **mōis* cet. Deinde inter vocalem *ō* et terminationes *-is -it,* semivocalis *j;* inter *ō* et terminationem *u* semivocalis *w* interposita est ; quæ semivocales, analogiæ lege, in omnes modos personasque demum irrepserunt. Ita e verbo **mōjan* triplex forma in lingua diutisca orta est, videlicet : *mōen* (*muohen*), *mōjen* (*muojen muogen*) et *mōwen* (*muowen*). Notandum est denique diphthongum *uo* ante consonantem raro (in *armutæ* « fatigatis », *mutos* pro **armuotæ *muotos*), ante vocalem sæpissime (velut in *muit bluit* pro *muoit bluoit*) in vocalem *ū* coaluisse. Aliquando etiam evenit ut vocalis terminationis, diphthongo *uo* subjecta, cadat, velut in *bluo-nti spuo-t* pro *bluo-enti spuo-et*. — v. Braune, *Ahd. Gramm.*, § 359, anm. 4. *Beitr.* VIII, 215, sqq. cf. *Beitr.* XI, 61, sqq.

Ut *muoen* flectuntur secundum debilem conjugationem : *bluoen* « florere », *druoen* (1) « pati » *gluoen* « candere », *gruoen* (2) « virere, virescere », *hluoen* « mugire, rudere », *nuoen* (2) « tundere », *spuoen* « contigere, effici, succedere », **ruoen* (?) (*irruota* « rugiebam », Notker ἅπ. λεγ. cf. *Beitr.* XI, 277).

3. Verba quorum stirps in *ōw* primitus desinit, syllaba *ōw* ante vocalem mutata in *ū* promissam, ad debilem conjugationem transierunt. Ex **bōwan* igitur *būan* « habitare, versari, colere » (aut interposita semivocali *w* inter *ū* et vocalem terminationis, *būwan, būwen* mhd. *būwen*, p. *būta*) ortum est. Ut *būan* flectun-

1. *Druoen* ex verbo non primitus valido, sed potius debili **thrō(ww)ēn* ags. *thrōwjan* p. *thrōwode* ortum est.

2. *Gruoen* et *nuoen* a stirpe *grōw, nōw-* derivata et diutisce in similitudinem verborum *muoen* cet. rapta fuisse videntur. V. infra, p. 51, 57, 71.

tur *trūēn, trūwēn* mhd. *trūen, trūwen* « confidere, credere, putare » et *nūan* mhd. *nūwen* « tundere ». Exstant etiam formæ in quibus diphthongus germanica *au* (ahd. *ou*) aut *eu* (ahd. *iu*) ad informandam præsentis aut participii stirpem usurpatur: Cf. mhd. *bouwen* p. p. *gebouwen;* mhd. *trouwen trowen;* ahd. *nouwan* mhd. p. p. *genouwen genowen genoun;* mhd. *biuwen;* mhd. *triuwen;* ahd. *nouwan* mhd. *niuwen* nonnunquam ut verbum validum secundæ classis flectitur: p. *nou* pl. *nuwen* p. p. *genuwen genewen geneut*. Quas formas vix dubito quin genuinæ ac legitimæ, sed analogiæ lege ortæ sint, ut mox ostendam. — Servatæ sunt denique paucæ formæ secundum validam conjugationem informatæ, videlicet: ahd. p. pl. *biruun,* opt. *biruuuis* (Otfrid) de quibus vide infra, p. 80 sqq.; et p. p. mhd. *gebūwen* ahd. *ginuwan ginuan genuen* mhd. *genouwen* cet.

c) Saxonica lingua paucissima verba servavit quæ præsentis stirpem per vocalem *ō* informaverunt, videlicet:

1. Pr. *hrōpan ruopan* « clamare », **flōkan* « maledicere » (*anflōkanna,* Conf. 39), *swōgan* « strepere » H. 5796, p. p. *far-flōkan* H. 4422 « maledictus ».

P. *hriop hreop* (Cott.) *riep* (Ps.).

2. ** blōian* « florere » 3 s. *blōiat* (Cott. *blōat*) H. 4342 p. p. *geblōid* H. 1676.

3. *būan* « habitare, colere, versari » (Cott. *būōn*) p. *būida; trūōn gi-trūōn gi-trūōian* « confidere, credere ».

d) 1. In Scandinavorum lingua unum tantum superest verbum cujus præsentis stirps in consonam vocali *ō* subjectam desinit, videlicet wn. *blóta* p. *blét* quod nonnunquam ad debilem conjugationem transiit. Adjectivum *flókenn* « perplexus, confusus » pro participio præteriti a verbo **flóka* informato habetur.

2. Inter verba pura et per *ōw-* desinentia distinctio nulla superest, nisi quod *ōw* ante vocalem per *ū* aut *ō* declaratur, dum *ō* etiam ante vocalem integra manet.

Pr. wn. *búa* « habitare, colere, versari » (on. *bōa*) ind. 1 *bý* pl. *búm búum;* p. p. *búenn bóenn* (on. *bōen* pl. *bōner* adj. « paratus »).

Wn. *gnúa núa* on. *gnōa* « radere » ind. 1 *gný* pl. *gnú(u)m* p. p. *gnúenn* aut *gnúit*.

An. **snúa* **snóa* « scabere, radere » dial. *sno snió, snu sniú*.

Wn. *snúa* on. *snōa* « vertere, torquere » ind. 1 *snýpl*. *snú(u)m* p. p. *snúenn*.

Wn. *trúa* on. *trōa* « confidere, credere » ind. 1 *trúi trý*.

Gróa « crescere » ind. 1 *græ græ* p. p. wn. *gróenn*.

Róa « remigare » ind. 1 *ræ ræ* pl. *ró(u)m* p. p. wn. *róenn*.

Sóa « vastare » p. p. *sóenn sóit*.

Glóa « candere » ; *hlóa* « mugire, rudere » ἅπ. λεγ. ; *flóa* « fervefacere, fluctuare ».

Præteritum aut α) per apophoniam, aut β) per iterationem primæ syllabæ informatur.

α) P. *bió*, 2 *biótt* (*bióst*), 3 *bió biuggi biogge* pl. *bioggu biuggu* (*buggu*).

β) P. wn. *gnera gnøra, snera snøra, grera grøra, rera røra* ; verbum *slá* quod secundum sextam classem verborum validorum flectitur, nonnunquam, analogiæ lege, præteritum *slera sløra* pro *sló* usurpat. De quibus præteritis vide infra, p. 79.

Sæpe etiam verba hujus classis aut in omnibus dialectis (ut *glóa, hlóa, flóa, trúa*) aut saltem in dialectis Scandinaviæ orientalis (cf. on. *bōa* p. *bōthe, snōa, grōa, rōa, sōa*) ad debilem conjugationem transierunt.

e) 1. In Anglosaxonum lingua, flectuntur verba quorum stirps in consonantem desinit secundum validam conjugationem et ad informandam præteriti stirpem diphthongum germanicam *eu* (ags. *eó*) usurpant :

Pr. *blōtan* « sacrificare » ; *hrōpan* « clamare » ; *hwōpan* « minari » ; *wēpan* (=**wōpjan*) « flere, plangere » ; *swōgan* « strepere », *swōgan* « invadere » ; *wrōtan* « effodere » ; *flōcan ? floccan ?* « plaudere », v. *Beitr*. IX, 287; **genōpan ?* **onrōdan ?* (v. supra, p. 13).

P. p. *ābloncgne ?* « indignati », *Beitr*. IX, 286 ; *blōten, hrōpen, hwōpen, ā-swōgen*.

P. *bleót hreóp hweóp weóp ðurh-sweógh* « pervaserat » (*geneóp onreód*).

2. In verbis puris quæ ad informandam præteriti stirpem diphthongum *eó* usurpant, semivocalis *w* cum in præteriti plurali numero ante terminationes primæ, secundæ ac tertiæ personæ (wgerm. *-um -uþ -un,* ags. *-un -on*) et in prima persona singularis indicativi præsentis ante terminationem wgerm. *-u* ags. *-e,* tum analogiæ lege in præteriti singulari numero, inde etiam in præsente, inter vocalem *ō* et terminationem interposita est (v. infra, p. 92).

Pr. *blōwan* « florere », *flōwan* « fluere », *glōwan* « candere »; *grōwan* « vivere, crescere », *hlōwan* « mugire, rudere », *rōwan* « remigare »; *sneówan snōwan* (?) « festinare, celeriter ire », *spōwan* « succedere contingere ».

P. *bleów, fleów, gleów, greów, hleów, speów.*

3. Verba quorum præsentis stirps in *ōw* desinit aut analogiæ purorum verborum obtemperaverunt (*flōwan, snōwan sneówan, grōwan*) aut ad debilem conjugationem transierunt, mutata *ōw* ante vocalem in *ū* atque interposita semivocali *j* aut *w* inter *ū* et terminationem.

Pr. *būan būg(i)an būian būwian.* North. *bȳa* « habitare, colere, versari », p. *būde būede,* North. *bȳede;* participium præteriti aut secundum validam conjugationem (*gebūn gebūen,* North. *bȳn*), aut secundum debilem (*gebūd*) informatur.

Pr. *trūwian trȳwian* (*treówian*) « confidere, credere, putare », p. *trūwde, -ode, -ade, -ede;* p. p. *trūwod, -ud, -ed.* — v. Cosjin, *Ws. Gramm.,* II, § 133.

f) Pauca denique verba quartæ classis enumeremus quæ Frisonum lingua servavit.

1. Pr. *wēpa* « fiere » (p. pr. *wēpande,* 3 s. ind. *wēpet*); *by-hrōpa* « clamare » (*hrōpande bi-rōpth* cet.).

P. p. *ur-flōkin* « maledictus »; *bi-wēpen be-wēpin; bi(h)rōpen bi-hrēpen.*

2. **grōwan* (?) « virere, crescere », 3 s. *grēth* (=**grēwith grōwiði*).

**Glia* « candere » p. pr. *gliande;* ut in verbis puris per *ē* desinentibus tertiæ pers. sing. indicativi præs. **blēth* **mēth* **sēth* res-

pondet infinitivus **blia *mia *sia* (vide infra, p. 23), ita, analogiæ lege, ex **glēth* (=**glōwiδi*) informatus est infinitivus **glia*.

3. Pr. *būwan* « habitare, colere », p. *būvde*; pr. *trouwa* « confidere, credere ». (V. Schade, *Ad. Wb.*)

V

Restat ut de verbis loquamur quæ in stirpe præsentis vocalem *ē* promissam germanice exhibent.

a) Gotica lingua vocalem *ē* ante consonam servat integram in verbis **blēsan* (*uf-blēsada* « φυσιοῦται »), *grētan* « κράζειν, κλαίειν », *lētan* « ἐᾶν, ἀφιέναι »; *ga-rēdan* « προνοεῖσθαι »; *slēpan* « κεκοιμῆσθαι, καθεύδειν »; *tēkan* « ἅπτεσθαί τινός »; in quibus vocabulis sonus promissæ *ē* ad *ī* vergit.

Ut *ōw* ante vocalem in *au*, ita *ēj* ante vocalem in *ai* Goti mutant; quæ litteræ *ai, au* non diphthongos designavisse videntur, sed potius vocales *ē* et *ō* quarum sonus ante consonantem ad *ī* et *ū* sed ante vocalem ad *ā* promissam vergebat; haud aliter eodem tempore Græci sonum *ē* per signum αι velut in αἵρεσις = got. *hairaisis* efferebant. — v. Brugmann, *Grundriss*, I, § 142, anm. I, cf. 179.

Respondet igitur gotico verbo *saian* (3 s. ind. pr. *saijiþ* aut *saiiþ* 3 pl. *saiand* p. pr. *saijands* aut *saiands*) germanicum : **sējō, *sējiδi, *sējanδi*, cet; incertum est utrum gotica *j* in *saijiþ*, *saijands* germanicæ *j* æquanda sit, an *saijiþ* ex *saiiþ* ortum sit, addito elemento *j* inter vocalem stirpis et terminationem *-is* aut *-iþ*.

Ut *saian* flectitur gotice **waian* « πνεῖν » (p. pr. *waiandin* dat. sing. J. 6, 18); dubium est utrum præterito *lailōun* « ἐλοιδόρησαν » præsens **laian* an **lauan *lōjan* respondeat; utrum verbum **faian* (*faianda* « μέμφεται » Rom. 9, 19, ἅπ. λεγ.) ex germanico **fajanan* an *fējanan* ortum sit. — v. Bremer, *Beitr.* XI, p. 56; Noreen, *Urgerm. Judl.* § 12, 57, § 9, II, 4.

Præteriti indicium non solum ex iteratione primæ syllabæ, ut

in verbis primæ, secundæ, tertiæ, quartæ classis, constat, sed etiam ex apophonia, vocali *ō* in præteriti stirpe in vicem vocalis *ē* succedente.

Gaigrōt, M. 26, 75, L. 19, 41, *gaigrōtuþ*, L. 7, 32, *gaigrōtun*, L. 8, 52; *lailōt*, Mc. 5, 19, cet., *lailōtun*, Mc. 11, 6, cet. *(af)lailōtun*, Mc. 10, 28 *(af)lailōti*, M. 10, 29, cet. *(faura-ga)rairōþ*, E. 1, 5; *taitōk*, Mc. 5, 30, etc. *(at-)taitōkun*, Mc. 6, 56 *(at-)taitōki*, Mc. 8, 22, *at-taitōkeine*, Mc. 3, 10, Mc. 6, 56.

Saisō, L. 19, 22, L. 8, 5, Mc. 4, 4, *saisōst*, L. 19, 21, *waiwōun*, M. 7, 25, 27, *lailōun*, Joh. 9, 28.

Solo in verbo *slēpan* præteritum eamdem vocalem *ē* quam præsens exhibet: *saislēp*, M. 8, 24, *anasaislēp*, L. 8, 23, *anasaislēpun*, Th. 4, 14, *gasaizlēp*, J. 11, 11, *gasaizlēpun*, K. 15, 6.

b) 1. In diutisca lingua mutatur germanica vocalis *ē* ante consonantem posita in *ā*.

Pr. *bāgan* « contendere, objurgare »; *blāsan* « flare »; *brātan* « fovere »; *lāzan* (decimo sæculo : *lān*) « relinquere, permittere »; *rātan* « suadere, consiliari »; *slāffan* « dormire »; *in-trātan* « timere, vereri »; *far-wāzan* « recusare, condemnare ».

Quæ verba in præteriti stirpe per apophoniam informati, vocalem *ē* (*ea ia ie*) exhibent.

P. *bieg, blies, briet, liez* (decimo sæculo : *lie*), *riet, slief, in-triet, far-wiez*.

2. Ut ex verbo **mōjan* « fatigare » triplex forma orta est, videlicet *mōan mōjen mōwen* (v. supra, p. 15), haud aliter e præsente **sēju* **sējis* cet. ortæ sunt formæ *sāu sāis* (*sāhu sāhis*) cet., aut *sāwu* cujus ex analogia *sawis* cet., aut *sājis sājit*, unde etiam *sājan sāju* (1). — V. Brugmann, *Grundriss*, I, § 142.

Ad instar verbi *sāen* « serere, seminare » flectuntur: *bāen* « fovere », *blāen* « flare, spirare », *brāen* « odorari », *drāen* « vertere », *drāen* « olere », *krāen* « cantare, garrire », (*ir-*, *bi-*)

---

1. Bremer, *Beitr.* XI, 69 sqq., conjicit verbum *sāu sāis* primum validum, deinde in similitudinem verborum debilium (*nerju neris*) raptum fuisse : inde formæ *sāju sāis* aut, per falsam analogiam, *sāju sājis* ortæ.

knāen « cognoscere », *māen* « metere, avellere », *nāen* « nere, sarcire » ; mhd. *schræjen* « emicare », *stræjen* « emicare », *spræjen* « emicare, dispergere » ; ahd. *tāen* « lactare » ; mhd. *vlæjen* « lavare », ahd. *wāen* « flare, spirare ».

Excepto verbo *blāan* cujus participium præteriti secundum conjugationem validam informatum est (*zaplahanner ziplahanner ziplaner* « contumax », Steinmeyer u. Sievers, *Ahd. Glossen* I, 62, 18), omnia verba quorum præsentis stirps germanice in *ēj* desinebat ad debilem conjugationem transierunt: *sāan:* p. *sāta, sāita* p. p. *gisāt gisāit* cet.

c) Eadem est informatio verborum quintæ classis in saxonica atque in diutisca lingua.

1. *an-drādan* « timere, vereri », *lātan* « relinquere, permittere », *rādan* « suadere, consiliari », *far-wātan* « recusare, condemnare », p. *an-drēd, lēt, rēd* (*andried liet ried,* Cott.), *far-wiet*. Gl. Lips. Pro **grātan* exstat verbum *griotan greotan* « flere » quod diphthongum germanicam *eu* ut in præsentis, ita in præteriti stirpe (*griat ; griot* Cott. H. 4072) præbet.

2. *Sāian* (*sēhan*, Mon. 2389) « serere » p. *sāida;* cujus verbi etiam præteritum valide informatum *sēu* pl. **sēwun* Cottunianus codex præbet : *obar-seu,* Cott. 2546.

d) Scandinavorum lingua, mutata vocali *ē* in *ā* hæc verba exhibet: *blása* « flare, spirare », *láta* « relinquere, permittere », *gráta* « flere », *ráða* « suadere, possidere » ; p. p. *blásenn, látenn, grátenn, ráðenn, hvátenn* « transfixus » ;. *taka* (p. *tók*) analogiæ verborum validorum sextæ classis obtemperavit.

Præteriti stirps per apophoniam informata vocales germanicas *ē, ō, ē*[1] (1) aut diphthongum *ei* præbet.

ē[2] — wn. *lét grét réð blés* on. *læt græt* agutn. *réþ riaþ* (?).

ō— on. *lōt*.

ē [1] — aschw. *lāt grāt*.

---

1. Quæ distinctio inter *é*[1] et *é*[2] intersit ostendam infra, p. 86.

ei — wn. *leit.* (pl. *litum*) *reið;* aschw. *lēt.* (pl. *litum, gritum*).

2. Verba germanica **sēan(an)*, **mēan(an)*, commutata *ē* in *ā*, in *sá* « serere », *má* « metere » coaluerunt ; quorum prius, præteritum per iterationem primæ syllabæ informatum *sera søra* ([1]) germ. **sezō, se-sō* præbet ; alterum ad conjugationem debilem transiit : p. *máða* p. p. *máðr*. A verbo *sá* nonnunquam etiam præteritum participiumque secundum dèbilem conjugationem declinatur : *sáða sáðr*.

e) 1. Anglosaxonum lingua vocalem *ē* promissam in *ǣ* mutat ; incertum est, tamen, utrum *ǣ* directo ex germanica *ē* orta sit, an ex *ē* primum *ā* ut in ceteris dialectis Germaniæ (præter goticam), deinde *ǣ* facta sit. v. Bremer, *Beitr.* XI, 12 sqq. ; cf. Sievers, *Beitr.* VIII, 88, *Ags. Gramm.*, §§ 57, 68. Cosjin, *Ws. Gramm.* II, § 54. Vocalem *ā* exhibet ws. *slāp(i)an* « dormire » ; v. Cosjin, *ibid.*, § 58, 4 ; vocalem *ǣ* præbent *on-drǣdan* « vereri, timere », *grǣtan* « flere », *lǣtan* « relinquere, permittere », *rǣdan* « suadere consiliari ».

Præteritum aut, per apophoniam informatum, vocalem *ē* præbet : ws. *on-drēd* (*-drǣd*) *lēt* (*lǣt*, undecimo sæculo etiam *leot*, v. supra, p. 10), *rēd, slēp*, aut in dialecto Northumbriæ per iterationem primæ syllabæ informatur : *on-dreord* (*-dreard*), *reord, leort* (v. infra, p. 79 sq.), aut aliquando etiam secundum conjugationem debilem flectitur : ws. *slǣpte* north. *on-drǣdde, slēpte, slēpde ;* v. Sievers, *Ags. Gramm.* § 399 ; *Beitr.* IX, p. 286.

2. Ut verba in *ōj* desinentia, ita verba quorum præsentis stirps per *ēj*, ags. *ā(j)* desinit, semivocalem *w* inter vocalem radicis (quæ non in *ǣ* sed in *ā*, sicut in *slāpian*, immutata apparet), et terminationem interponunt.

Pr. *blāwan* « flare spirare », *cnāwan* « cognoscere », *crāwan* « cantare, garrire », *māwan* « metere », *sāwan* (*sǣwan*) « serere »,

---

1. Verbum *slá* quod secundum sextam classem verborum validorum flectitur etiam præteritum *slera slɔra* « verberare » per reduplicationem informatum pro *sló* præbet.

ðrāwan « vertere », *wāwan* « flare, spirare », *clāwan* « scalpere » ; m. engl. *bǣwen* « fovere ».

P. *bleów cneów creów *meów? seów, ðreów, *weów? *cleów?*

Raro pro *eó* apparet *ē* promissa, videlicet in: *cnēw sēw*. — v. Cosjin, *Ws. Gramm.* I, § 26.

f) In Frisonum lingua paucæ exstant formæ verborum quintæ classis.

1. Pr. *brēda* « fovere » ; *lēta* « relinquere, permittere » ; *slēpa* « dormire »; *tēka* « capere, prehendere » (3 s. *bi-tēch* pro **bi-tēcht*).

P. p. *lētan lēten, bi-slēpen.*

P. lēt, līt opt. *lētte.*

2. Pr. **blia* « flare », **mia* « metere », **sia* « serere » =**blīa(n) *blēa(n) *blēwan,* cet. 3 s. *mēth* =**mēwith.*

P. p. *e-sēn* =**(g)i-sēwin.*

P. 3 s. *blērem* = *blē* + *er* + *em*. — v. van Helten, *Altostfr. Gramm.*, § 244.

Nunc, perlustratis quinque classibus verborum quæ præteritum per iterationem primæ syllabæ informatum in singulis Germaniæ dialectis præbent liceat summam hujus capitis breviter complectamur, et (neglectis paucissimis rarioribus formis de quibus infra loquendum erit) demonstremus quid fuerit peculiare cujusque classis verborum in antiquiore linguæ statu.

A. Quod ad præsens pertinet, dividimus verba in quinque classes, prout vocalis radicis *a*, vel *ai*, vel *au*, vel *ō*, vel *ē* erat.

α) Verba quæ per vocalem *a*, subactis duabus consonis informata sunt, ab iis verbis haud segreganda esse vidimus quæ diphthongos *ai* vel *au* in radice media præbent ; nempe in his et in illis vocalis *a* ante biconsonam *lx, nx* vel *i̥x, u̥x* posita esse apparet.

β) Radix verborum quæ vocalem *ō* exhibent, aut in consonam quamdam, aut in semivocalem *w* vel in vocalem ipsam *ō* desinit. Quorum verborum illa secundum validam conjugationem flexa sunt, hæc in omnibus dialectis, anglosaxonica excepta, ad conjugationem debilem transierunt.

γ) Haud aliter radix verborum quæ vocalem *ē* in media stirpe

præsentis demonstrant, modo in consonam quamdam, modo in vocalem ipsam *ē* desinit. Quorum verborum illa validam, hæc debilem plerumque, Anglosaxonum dialecto excepta, conjugationem secuta sunt.

B. Præteritum dissimili via et ratione in Gotorum sermone qua in Scandinavorum et in dialectis Germaniæ occidentalis informatum esse ostendimus.

a) Nempe Goti ad informandum validorum, quæ dicuntur, verborum præteritum, nec eadem vocali in singulari qua in plurali numero (1), nec eadem vocali in præteriti qua in præsentis stirpe uti solebant. In reduplicatis vero præteritis, stirps in utroque numero eamdem vocalem demonstrat quam præsens, ita ut apophonia in verbi declinatione omnino aboleta fuerit.

b) In Scandinavorum lingua et dialectis Germaniæ occidentalis nec reduplicata syllaba servata est, neque ulla distinctio inter vocalem singularis et pluralis numeri interest, sed præteriti stirps non jam eamdem vocalem præbet quam stirps præsentis.

α) Vocalem *ē* præbent verba secundæ et quintæ classis necnon, in Scandinavorum lingua, verba quartæ classis quorum radix in consonam desinit.

β) Vocalem *ĕ* (quæ postea in diutisca et saxonica lingua porrecta fuit) : verba primæ classis in omnibus dialectis, anglosaxonica excepta.

γ) Diphthongum *eu :* verba tertiæ classis ; verba quartæ classis quorum radix in consonam desinit, in omnibus dialectis excepta Scandinavorum ; verba primæ classis necnon verba pura quartæ et quintæ in Anglosaxonum sermone.

---

1. In sexta tantum classe præteritum in singulari numero eamdem vocalem exhibet atque in plurali. Cf. *faran* « vehi », p. *fōr*, pl. *fōrum*.

CAPUT II

Enumerantur verba germanica reduplicatum præteritum exhibentia, et vocabula a verbalibus stirpibus declinata.

Postquam formas enucleavimus quas in singulis Germaniæ dialectis verba præteritum per iterationem primæ syllabæ informantia exhibent, nunc propositum est nobis in hoc capite ut, collatis verbis consimilibus et vocabulis a verborum radicibus in congeneratis dialectis Germaniæ derivatis, formas veras et genuinas verbalium radicum ad hanc conjugationem pertinentium restituamus.

A. — *De verbis primæ classis.*

1. Germ. **alþanan* got. *us-alþan* « senescere ».

In latinis vocabulis *alere, ad-olescens, ad-ul-tus, altus*, etc., gr. ἄν-αλ-τος (v. L. Meyer, *Vgl. Gramm.*, p. 702), got. *alan* (p. præs. *alands* « ἐντρεφόμενος »), *aljan* « alere », an. *ala* « gignere, parere », ags. *alan* « alere, procreare, apparere », radicem nudam *al* invenimus ex qua, addita syllaba derivativa idg. *-tō*, germ. *-þō* præsens **álþō* informatum est (1).

Omnia vocabula ex radice *al* informata eamdem vocalem *a* exhibent.

---

1. Ut ex radice *al* germ. **al-ō* et **al-þō*, ita ex radice *plek* græce πλέκ-ω et latine *plec-tō* informata sunt. — Osthoff, *M. U.* I, 228.

Germ. *alþja- alþa- (alda-)* « vetus », got. *alþeis,* an. *aldenn,* ags. *eald ald,* ahd. *alt,* as. *ald,* afr. *ald.*

Germ. *aldra-* : 1° adjectivum « ætate provectus, parens, auctor, princeps » ; 2°) substantivum « vita, ævum, vetustas », got *fram-aldrs,* an. *aldr,* ags. *ealdor* m., *ealdor* n., ahd. *altar* n., as. *aldar* n., afr. *alder-long.*

Germ. *aldi-, aldu-* : 1° « ætas, senectus, ævum », got *alds* f. an. *ǫld* f. ags. *yld(u) eld(o)* f. as. *eldī* ,ahd. *eltī altī* f. ; 2° pl. « homines », an. *aldir,* ags. *yldi,* as. *eldi ;* 3° « ætas hominum, sæculum », an. *verǫld,* ags. *weorold,* as. *werold,* ahd. *weralt worolt,* afr. *wrald.*

2. Germ. **falþanan,* got. *falþan* « πτύσσειν », ahd. *faldan (faltan)* « plicare, plectere », an. *falda* « caput tegere », ags. *fealdan* « plicare ».

In germanica radice *falþ-* spirans consona þ quæ, post syllabam acutam integra servatur, post syllabam accentus expertem secundum Vernerianam legem in mediam *d* versa est ; þ præbent got *falþan,* ahd. *faldan,* an. p. *fell* (pro **felþ*) ; mediam *d,* in ahd. *faltan,* an. *falda, feld.* repperimus ; ags. *fealdan* a *falþ* aut *fald* eodem jure derivari potest. — v. Kluge, *Germ. Conjug.,* p. 78 sq.

Vocabula a radice *falþ- (-d)* derivata vocalem *a* in stirpe semper exhibent : got. *(ain-)falþs* « ἁπλοῦς », as. *-fald,* ahd. *-falt,* an. *-faldr,* ags. *-feald,* afr. *-fald,* « *-plex* » (in *simplex, duplex,* cet.) — ahd. *falt* « plica », mhd. *valt* m. *valte valde* f. ; cf. an. *faldr.* m. « plica, fimbria, limbus, *feldr* m. « *peplum* » ; cf. ags. *ge-feald* n. « sæptum, ager », *fyld* m. « volumen », *fald(e)* f. « sæptum, ovile, bucetum, stabulum ».

Cum radice germanica *falþ* cognatum esse videtur gr. (δι-) πλάσιος pro * *p̥ltjos* « duplex » ; abulg. *pletą plesti* « plicare » quod Kluge cum germ. **falþanan* comparat, Brugmann, *Grundriss* I, p. 401, ex eadem radice atque nhd. *flechten* ortum esse demonstrat.

Incertum est utrum verbum germ. **faltō* (?) **faltjō* (?) « plicare, striare » *validum* an *debile* sit. (V. Graff, III, 518 sq.

Grimm, *Wb. : falzen.*) Lingua enim diutisca formas *falzit* « fulcit » et *gifalztiu suert* « falcati enses » exhibet; in sermone mediævali participium præt. *gevalzen* secundum *validam* conjugationem a verbo *valzen* informatum est, dum *velzen* (= **faltjan*) et *valzen* debilem conjugationem sequuntur. Verbum debile **faltjō* a stirpe idg. *p̥ltni-* (Kluge) = germ. *faltti- falti-* originem trahit, ex qua substantiva mhd. *valz* (*valze, velze*) « canaliculus », ahd. *ana-falz* « incus »; ags. *an-filt* m. ndl. *ane-belte,* dän. *am-bolt* orta sunt. Contra, si validi verbi formam, **faltō,* in germanica lingua pro genuina habemus, tunc fortasse existimandum erit linguam indoeuropæam duplicem ejusdem radicis formam exhibuisse, scilicet *palt* et *pald:* unde germanice *falþ* et *falt* (cf. p. 35).

3. Germ. **haldanan* « custodire, tenere, pascere », got. *haldan* « βόσκειν τι, ποιμαίνειν », an. *halda,* ahd. *haltan,* ags. *healdan haldan,* afr. *halda,* as. *haldan.*

Utrum **haldō* e radice *hăld* (prægerm. *kaldh-*) aut *hălþ-(-d)* (prægerm. *kalt*) an ex *hăl,* addita syllaba dirivativa *-dō* (prægerm. *-tō: *kal-tó*) ortum sit, dubium est. Cum germanica radice *hal* fortasse licebit conferas gr. βουκόλος « bubulcus », lat. *colere, incola, cultus, in-quilinus;* quæ vocabula a radice *qel* (unde *qvel*) ducta sunt. v. Leo Meyer, *Vergl. Gramm.*, p. 709 sq.; Henry, *Gramm. comp.*, § 57, 1.

Stirpem leviorem *hulþ huld* præbet adjectivum **hulþaz* « fidelis, ut inferiorem decet erga principem; propitius, ut principem erga humiliorem »; got. *hulþs,* ahd. as. ags. afr. *hold,* an. *hollr;* cf. got. *un-hulþa* « diabolus », ahd. *holdo* « genius », *un-holda* « diabolus »; — cf. ahd. *huldī* f. « gratia », *hulda* f. « salus », ags. *hyld* m. *hyldu* f. *helde* f., as. *huldī* f., an. *hylli* f.

Dubium est an ex eadem radice atque germ. **haldanan* orta sit germanica stirps *halþa- halda-,* unde ahd. *hald* « proclivis, pronus », *haldo* « sponte », ags. *heald,* an. *hallr;* ahd. *halda, uohaldi* « clivus », ags. *hylde,* an. *hallr* « clivus, collis, lapis »; — cf. ahd. *haldēn* « vergere », *heldan* « inclinare », ags. *hyldan heldan,* cf. an. *halla hella,* as. *af-heldian;* quæ vocabula a radicibus *skele*

« curvare, curvari » et *sqele* « curvari, curvare, excellere » derivata esse docet Iohansson, *Beitr.* XIV, 296.

4. Germ. **skaldanan* ahd. *scaltan* « ducere navem, declinare, ponere ad dorsum, as. *skaldan* « navem propulsare ».

Cf. mhd. *schalter schelter schulder* « obex, repagulum, vectis », nhd. *schalter;* ahd. mhd. *scalt-jār* « annus intercalarius » ; ahd. *scalta* « contus, scalmus », mhd. *schalte* « tonsus, trudes ».

Verbum **skaldanan* sine dubio ex radice *skeld* informatum est, cujus stirps gravior I servata est in verbo **skeldanan* « increpare, vituperare, reprehendere » : afr. *skelda,* as. **sceldan* (p. pl. 3 *sculdun* « increpuerunt » Gl. L. 809), ahd. *sceltan;* cf. ahd. *scalt.* « vituperium » cet.

Germanicæ radici *skel-d* respondet indoeuropæa (*s*)*qal,* (*s*)*qel,* « verberare, tundere » (cf. lit. *kalù kálti* « tundere », *kálvis* « ferrarius », abulg. *kolją klati* « pungere », gr. κλάω κλῆμα, aut, addito elemento *t,* (*s*)*qal-t* (*s*)*qel-t* (lit. *kaltas* « cisura, culter », lat. *culter*). v. Iohansson, *Beitr.* XIV, 313 sqq.

5. Germ. **spaldanan* ahd. *spaltan* « findere » mhd. nhd. *spaltan,* a radice *speld* ortum esse videtur quæ nobis in substantivo germ. **speldō* occurrit : got. *spilda* f. « πινακίδιον, πλάξ », an. *spjald* n. *speld* (*speldi*) « tabula », mhd. *spelte* « lanceæ fragmentum ».

Germanicæ radici *spal-d spel-d* affinis esse videtur indoeuropæa (*s*)*pel.* [Cf. gr. σπίλος σπιλάς cet. ahd. as. *felis* « rupes »; gr. πέλλα, lat. *pellis,* germ. **fella-* cet.] v. Laistner, *Zs. f. d. A.* XXXII, 181.

6. Germ. **staldanan* got. *and-staldan* « χορηγεῖν τινί τι, παρέχειν τι » *ga-staldan* « ἔχειν, κτᾶσθαί τι », ags. *stealdan* « possidere » ; cf. got. *and-stald* n. ἐπιχορηγία; ahd. *schafe-stalta* « caula », ags. *ge-steald* n. « statio, domicilium ».

Verbum **staldanan* sine dubio ad radicem *stel* pertinet quæ nobis in vocabulis germanicis *stall, stiel, still, stuhl* (v. Kluge, *Etym. Wb.*) occurrit; ex qua radice adjectivum *stḷ-tós,* germ. **ga-stal-das* « qui tenet, habet, imperat » flexum est; cf. longob. *gastaldio* « gestor, minister, judex », ahd. *kastalt*; — cf. ahd. *hagu-stalt,* as. *haga-stold* (*hagu-stald*), ags. *hago-steald* (cf. an. *gramr*

hauk-stalda, Sæmundar Edda Sig. III 31) « cælebs, tiro, mercenarius, famulus » (v. Grimm, *Wb.* : *hagestolz*). Ex adjectivo **gastaldas* videtur verbum **staldanan* informatum esse sicut e stirpe *salta-* verbum **saltanan* (v. infra, n° 8).

7. Germ. **waldanan,* got. *waldan* « dominari, regnare, protegere », ahd. *waltan,* an. *valda,* ags. *wealdan.*

Ab eadem radice ducta sunt : got. *wald-ufni* n. « ἐξουσία », ags. *geweald -wald -wyld* m. n. « potestas, facultas, jus » an. *vald* n. (pl. *vǫld*), ahd. *gawalt* f. (pl. *gawelti*), as. *giwald* n. ? f ? afr. *wald.* cf. ahd. *al-walto* « regens », as. *alo-waldo,* ags. *ealwealda al-walda.*

Ambigitur utrum **waldō* e radice *u̯aldh* (cf. abulg. *vlada vlasti* « regnare » lit. *valdýti* « regnare », *valdóvas* « dominus », *veldėti* « acquirere », *pavildėti* « possidere »), an, addita syllaba *-tō* (germ. *-dō*), e radice *u̯al* (*u̯el-*) tractum sit, quam in latinis vocabulis *valēre, validus, valdē,* cf. air. *flai-th* « regnum » reperimus. v. *Beitr.* VI, 387, 571 ; VII, 467, sq. cf. *Grundriss d. d. Phil.*, I, p. 371.

8. Germ. **saltanan,* got. *saltan* « sallere », ahd. *salzan,* ags. *sealtan ;* an. *salta* ad conjugationem debilem transiit.

Cf. germ. **salta-m* n. « sal », got. an. as. afr. *salt,* ags. *sealt* ahd. *salz* lapp. *saltte ;* cf. an. *saltr,* ags. *sealt* « salsus ».

Verbum **saltanan* a germanica stirpe *salt*-derivatum est, cui indoeuropæa *sald* respondet quæ in verbo lat. *sallere* (pro **saldere*) et in adjectivo lit. *saldùs* apparet, et ex radice *sal* (lat. *sal,* gr. ἅλς, abulg. *soli,* lett. *sāls,* air. *salarm*) addita dentali consona *d* informata est.

Gradum leviorem II radicis (i. e. indoeur. *sl̥d,* germ. *sult*) præbent vocabula ahd. *sulza* f. « salsugo, frigidaria, gelatina », as. *sultia sulta* f., mhd. *sulze sülze sulz* cf. ital. *solcio.*

9. Germ. **waltanan* « volvi », ahd. *walzan,* ags. *wealtan* (north. *wælta*) ; an. *velta* (p. *valt* pl. (*v*)*ultu* p. p. (*v*)*oltenn*) secundum validam conjugationem informatum, vocalem *e* in præsentis stirpe præbet.

Vocalem *a* exhibet causativum **walt-janan* « volvere », got.

waltjan « ἐπιβάλλειν », *uswaltjan* « ἀνατρέπειν τι » (cf. *af-walwjan* « ἀποκυλίζειν » (id est « devolvere »), an. *velta*, ahd. *welzen*.

Ad eamdem originem atque **waltanan* licet referas verbum **wal-lanan* (pro **wal-nanan*) « bullire, scatere, fervere », ahd. *wallan*, as. *wallan*, ags. *weallan*; an. *vella* tertiæ classi verborum validorum adscribendum est (p. *vall.* pl. *ullu* p. p. *ollenn*) et vocalem *e* in præsentis stirpe sicut *velta* exhibet.

Vocalem *e* exhibet substantivum ahd. *wëlla* « fluctus, unda », vocalem *a* germ. **walmiz*, ahd. *walm* « fervor », ags. *wylm welm* (*wælm*) et verbum **wal-nō-jō* « peregrinari », ahd. *wallōn*, ags. *weallian*.

Germanicæ radici *wel wal* respondet lat. *volvere* gr. ἴλλω (pro Fί-Fλω) « volvere » εἰλύειν « volvere » ἕλιξ « tortus, armilla, gyrus », cf. abulg. *vlŭna* lit. *wilnis* « fluctus » (v. Leo Meyer, *Vergl. Gramm.* p. 671, 736); cognata videtur etiam sanscritica radix *var* (v. Whitney, *Roots*, p. 162, cf. 155. Henry, *Manuel véd.*, p. 294); germanicæ enim stirpi *walmi-* (ex *u̥l̥-mi*, *u̥r̥̄-mi-*) aptissime respondere scr. *ūrmi* « fluctus » (ex. *u̥r̥-mi*) ostendit Kluge, *Beitr.* IX, 193.

10. Germ. **fallanan* (pro **fal-nanan*) « cadere, labi », ahd. as. *fallan*, ags. *feallan* (*fallan*), an. *falla*, afr. *falla*.

Eamdem vocalem *a* præbent : germ. **fall-janan* « sternere, scandalizare », ahd. *fellen*, as. *fellian*, ags. *fellan fyllan*, afr. *falla fella*; — cf. as. *fal* (*falles*) m. « ruina, excidium, casus », ags. *fyl(l) fell fiell* m., afr. *fal fel* m., an. *fall* (pl. *fǫll*) n.; — cf. ahd. *falla* f. « captio, decipula », ags. *fealle* f.

Adjectivum mhd. *valsch* « falsus », ags. *fals*, an. *falskr* et verbum ahd. *gifalscōn gifelscen* non e germanica radice *fal* orta sed e latina lingua (*falsus falsicare*) a Germanis desumpta esse videntur. v. Kluge, *Beitr.* VIII, 526; cf. *Wb: falsch.*

Germanicæ radici *fal* respondet in indoeuropæa lingua (*s*)*phal* (?) aut (*s*)*qhal*, (*s*)*qhel* (?); v. Brugmann, *Grundriss*, I, p. 407. — cf. scr. *phal* « rumpi » (Whitney, *R.* p. 195), *phála* « fructus », *sphal* « offendere » (Whitney, *R.* p. 197); — gr. σφάλλω « jacere », σφάλλομαι « cadere, errare » (ἔσφαλμαι, ἐσφάλην), cf.

aor. σφῆλαι (hom.) ἔσφηλα, φηλός « fallax », φηλοῦν « fallere »; v. Leo Meyer, *Vergl. Gr.* p. 728; — lat. *fallo* p. **fefalī* **fefallī* *fefellī* (v. Ernault, *Parf.* p. 49), p. p. *falsus*; lit. *pūlu púlti* « cadere ».

11. Germ. **walkanan*, ahd. *walchan* « volvere, comprimere », ags. *wealcan*; an. *válka* (*volka*) secundum debilem conjugationem flectitur.

Ital. *gualcare gualchiera*, fr. *gaucher gauchoir* a germanico verbo mutuata sunt.

Incertum est utrum verbum ahd. **wulkjan* (cf. *giwulktā gewulchtā* « constipatos », Graff, I, 796) et substantivum ahd. *wolchan* n. « nubes », as. *wolcan* n., ags. *wolcen* n. a radice *walk* « procedere, volvi », an a radice germanica *welk*, indoeur. *welg* « humidum esse », informata sint.

12. [Germ. **halsanan?*] mhd. *halsen* « amplecti » sine dubio a substantivo germanico **halsaz*: got. as. ahd. afr. *hals*, an. *hals háls*, ags. *heals* « collum » derivatum est. Quod in omnibus germanicis dialectis secundum debilem conjugationem flectitur: ahd. *halsēn halsōn*, ags. *halsian healsian* « implorare », an. *hálsa*; quare non dubito, quominus verbum *halsen* in sermone germanico mediævali analogiæ lege in similitudinem verborum validorum, ut etiam *eischen*, *vreischen*, *preisen*, cet. raptum fuerit.

13. Germ. **bannanan*, ahd. *bannan* « mannire, bannire », ags. *bannan*, *bonnan* « jubere, citare, convocare », afr. *bonna*, *banna*; cf. lat. *bannire*; fr. *bannir*.

Cf. ahd. *ban* (*bannes*), m. « scitum, anathema »; ags. *ban*(*n*), n. « mandatum, edictum, interdictum », afr. *bon ban*(*n*), n. « excommunicatio, interdictum », as. *ban* n. « mandatum »; cf. lat. *bannus*, *bannum*; fr. *ban*, *arban*.

Verbum **bannō*, cujus genuinus sensus erat: « aliquid alicui cum minis aut imperare aut vetare » ex **banwō*, indoeur. **bhanéu̯ō*, ortum et a radice *bhā* derivatum esse videtur, unde sanscriticæ radices *bhā* « apparere » *bhan*, *bhaṇ* « fari »; v. Whitney, *R.* 110, 109, 108; lat. *fāri*, gr. φάσκω, φᾱμί, φαίνω; — v. Osthoff, *M. U.* IV, 35 sqq. *Perf.* p. 353, 518 (in notula).

14. Germ. **blandanan*, got. *blandan* « συναναμίγνυσθαι », an. *blanda* « miscere », ags. *blandan, blondan;* as. *blandan*, ahd. *blantan*, mhd. *blanden*.

Ab eadem radice informata sunt : nhd. *blendling* « nothus », cf. an. *blendlingr* « commixtura, gigantis virique forma mixta ».

Ad eamdem originem atque **blandō* licet sine dubio referas adjectivum **blindaz* « cæcus », got. *blinds*, an. *blindr*, ags. as. afr. *blind*, ahd. *blint;* — cf. **blind-jō* « cæcare », got. *gablindjan*, an. *blinda*, afr. *blinda;* — cf. **bland-jō* « obcæcare », ahd. *blendan*, afr. *blenda;* — cf. got. *gablindnan*, ahd. as. *blindēn* « cæcus fieri, obscurari »; — cf. an. *blunda* « nictari », angl. *blunder* « errare ». — Inde conjicias germanicæ radici *blind* ex qua **blandō* et **blindaz* orta sunt, significationem : « nubilum, turbidum esse » primitus fuisse.

Ab eadem radice ducta sunt lit. *blandýti* « oculos demittere », *blindo blésti* « obscurum fieri ».

15. Germ. **spannanan*, ahd. *spannan* « tendere, intendere, protendere, conjungere », ags. *spannan, sponnan;* an. *spanna* et mhd. *spennen, spannen* secundum debilem conjugationem flectuntur.

Cf. ahd. *spanna* « palmus, palma », an. *spǫnn* (gen. *spannar*), cf. ital. *spanna*, fr. *empan*.

Verbum **spannō* pro **spanwō* ex indoeur. **spa-néu̯ō* ortum, ex radice *spă̄* informatum est, ex qua multa vocabula in germanica lingua flexa esse videntur.

a) Germ. **spananan* « lactare, allicere, allectare, suggerere », ahd. *spanan, sponan*, as. *spanan*, an. *spana;* — cf. ahd. *spenan*, an. *spenja*, ags. *spenan* « allicere »; — cf. ahd. *spanst* (pl. *spensti*) f. « suggestio, illecebræ », (*gi*)*spinst*, (*gi*)*spenst, spenstig* « illex ».

b) Germ. **spinnanan* « nere, filare », got. *spinnan*, ahd. *spinnan*, an. *spinna;* — cf. ahd. *spinnala* f. « fusus »; *spinna* f. « aranea »; *uspunna* f. « stuppa ».

c) Ahd. *spunnī* f. « uber », *spunnan* « lactare », mhd. *spünec* « docilis », cf. an. *speni* m. « uber », cf. as. *gispandan* (acc. sing. masc. p. p.) « lacte depulsum ». Pr. 336.

d) A stirpe (*s*)*pa-t- spa-d* (cf. lat. *spat-ium pand-ō, pat-eo*) derivatum esse videtur substantivum germ. **fa-þ-maz*, as. *faδmōs* m. pl. « manus et brachia », ags. *faeδm* « brachia, amplexus, sinus », ahd. *fadam, fadum* m. « filum » ; quod verbum Kluge (*Wb. Faden*) a radice *pet* (πετάννυμι) ductum esse arbitratur.

e) A stirpe *spō-l-* informatum est ahd. *spuola* f., *spuolo* m. « panus, lignum quo fila in telam portantur, trama ». v. Kluge (*Wb : Spul*).

f) Conjectura probabile est ad eamdem originem atque **spanwō*, **span-ō*, etiam vocabula, a radice *spē* « crescere, pro gredi », informata, referenda esse ; v. ags. *spōwan*, ahd. *spuoen* « contingere, effici, succedere, bene procedere » cet. — Cf. Bremer, *Beitr.* XI, 281 ; Noreen, *Urgermansk. Judl.*, § 12, n° 11 ; Laistner, *Zs. f. d. A.*, XXXII, p. 183.

Radici germanicæ *spă- spē-* indoeur. *spā*, respondet sanscritica radix *sphā* « augeri ». Whitney, *R.* p. 197, gr. σπάω, dor. σπάδιον, cf. σπέος, σπῆλυγξ, σπήλαιον (Meyer, *Gr.* p. 347), σπιδής (ibid. p. 1055), σπάθη (ibid. p. 1084) ; — cf. lat. *spatium pando* (pro **pat-nō*) *passus, passim*, etiam *pateo*, — v. Saussure, *Mém.* p. 60 ; Osthoff, *Perf.* 547, sq. ; L. Meyer, *Vergl. Gramm.*, p. 1041 ; Henry, *Gramm. comp.*, § 98.

16. Germ. **ganganan* « ire », got. *gaggan*, ahd. as. *gangan*, an. *ganga*, ags. *gangan, gongan* (*gengan*), north. *geongan*, afr. *gunga ganga*.

Ad eamdem radicem *gang* pertinent :

Goth. *gaggs* « πλατεῖα », *atgaggs* « προσαγωγή », ahd. *ganc* pl. *gengi* et *ganga ;* as. *gang*, ags. *gang gong* (*geong*), afr. *gong* (*gung*), an. *gangr*.

Goth. *framgahts* « προκοπή », *inna-gahts* « introitus », *unatgahts* « ἀπρόσιτος ».

Ahd. *gengi* « consuetus », an. *gengr* « pervius » (cf. *gengi* n. « fortuna »), ags. *genge*, afr. *genzic ghinse ganse* (Richth. 773[b]).

Got. *faura-gagg*(*j*)*a* m. οἰκονόμος (*fauraggagi* n. οἰκονομία), ahd. *forakango* « prævius », — ahd. *-gengio, -kenkeo, -gengo* « qui

it, ingreditur » (Graff, IV, 103 sqq.), ags. *sægenga* « nauta », *begengea* « incola » etc.

Germanicæ radici *gang* respondet in sermone communi Indoeuropæorum radix *ghengh*, scr. *jánghā* « pars inferior cruris ». zd. *zanga* « talaria », lit. *žengiù* « ingredior », *pražanga* « contumacia, peccatum ». v. Brugmann, *Grundriss*, I, §§ 453, 395, 480.

Radicem *gang*, *ghengh* multi grammaticæ comparativæ auctores cum radice *ghē* « ire », gr. κίχημι [scr. *jihāmi* (?)], germ. **gē-mi*, **gēizi* **gaizi* cet., ahd. *gān gēn*, ags. *gān*, *gǣ*, as. *gān*, an. *gá*, afr. *gān* cognatam esse putant.

17. Germ. **pranganan*, got. *anapraggan* « θλίβειν » (*anapragganai*, II. Kor. 7, 5. ἅπ. λεγ.)

Cf. mhd. nhd. *phrange phrenge*, nd. *prang* « compressio », *phrangen phrengen*, ndl. nd. *prangen* « premere, opprimere, torquere », — *pranger branger brangel*, m.ndl. *prangher*, *pranger* « vinculum, quo cervix, interdum etiam pedes includuntur », — bair. *pfreng* « turba, compressio », *pfrenger* « septum », ags. *pranga* (?).

Cum germanica stirpe *prang-* comparat Laistner. *Zs*. XXXII, 184, cum stirpes germanicas *spreng- bring- prag-* (ahd. *springa* « pedica », *bringen* « comprimere, cogere », cf. *prägen* « cudere » cet.), tum græca vocabula φράσσω φράγνῦμι « circumsepio, munio, obstruo » (*bragh-*); σφρᾶγίς « sigillum »; σπέρχω σπέρχεσθαι « urgeor, irascor » (*spergh-*) [v. L. Meyer, *Gramm*. p. 839, 929] quæ a radice (*s*)*per* (cf. lat. *parum parco*, nhd. *sparen sparsam*) orta esse putat.

18. Germ. **stanganan* (?), got *us-stagg ita* « ἔξελε αὐτὸν » . Lb. ad. Math. 5, 29 ἅπ. λεγ. In ceteris germanicis dialectis verbum **stengō* (v. Schade, *Ad. Wb.*, II, 871) nobis occurrit; quare docti viri Uppström et Bernhardt *usstagg* mendam scribæ esse arbitrati sunt et in *ustigg* mutaverunt. Potest tamen fieri ut germanica lingua cum verbum **stangō*, p. **ste-stang*(*e*), tum etiam verbum *stengō* p. *(*ste*)*stang*(*e*) præbuerit. Cf. **breutō* et **brautō*, **heufō* et **haufo* cet. De quibus vide infra.

19. In germanici præsentis * *fánhanan* stirpe, a radice indoeur.

pā$_1$*k* informata (* *pak-nó*, **pank-(n) ó*), videtur jam in primo statu germanicæ linguæ non terminatio, sed prima syllaba accentum accepisse, cum spirans *h* non secundum regulam a Karolo Verner expressam in mediam *g* mutata sit. Got. *fāhan* « πιέζειν », ahd. *fāhan* « tenere, apprehendere, capere, rapere », an. *fá*, ags. *fōn*, as. *fāhan*, afr. *fā*; præteritum gothicum *faifāh* a germanica forma **fe-fánh(e)* ortum esse videtur; ceteræ Germaniæ dialecti stirpem præteriti participiique in mediam *g* desinentem præbent: **feng(e)*, **fengúm(e)*, *fanganás*; cf. ahd. as. ags. afr. *feng* wn. *fekk*, on. *fæk*, *fik* (pl. *fengo*, *fingo*).

A stirpe germanica *fak* (indoeur. *pag*) derivata sunt ags. *fæc* « ævum, tempus », afr. *fek fak* « spatium, pars », ahd. *fah* (*fahhes*) n. « pars cujusdam spatii, parietis, muri; rete, plagæ ». — cf. gr. πάγη.

Ad eamdem originem atque stirpes *fanh- fang- fak* vix dubitamus referre etiam stirpem *fēh* in spirantem (cf. got. *gafēhaba*, εὐσχημόνως) et stirpes *fēg-*, *fōg-*, *fag-* in mediam desinentes v. an. *fægja* « mundare », ahd. *fuogen* « aptare, jungere », as. *fōgian*, afr. *fōga*, ags. *gefēgan*; got. *fagrs* « pulcer, aptus », an. *fagr*, ags. *fæger*, as-ahd. *fagar*; — cf. mhd. *vegen* « mundare », *vege-viur* « purgatorium ».

A radice indoeuropæa *pā*$_1$*k*, *pā*$_1$*g* (1), cujus vocali *ā*$_1$ aut vocalis *ē* aut *ā* respondere videntur informata sunt scr. *pâça* « vinculum », v. Whitney, *R.* p. 95, gr. πήγνυμι ἔπηξα cet. perf. πέπηγα (hom.), πέπᾱγα (dor.), aor. ἐπάγη (hom.), πεπαγοίην; cf. πάγη « rete », πάσσαλος (pro *πακιαλος) cet. « paxillus » — v. L. Meyer, *Vergl. Gramm.*, p. 872; lat. *pango pepigī* (pro **pepăgī*, v. Ernault, *Parf.* 49 sq.) *pēgī* (*ibid.* 61 sqq.), *panxi* (*ibid.* p. 40), *pactus*; cf. *compāges propāges* cet., etiam *pāx pācare păciscor*, cet. — V. L. Meyer, *Vergl. Gramm.*, p. 872, 822.

---

1. Videntur nonnullæ radices indoeuropææ (præsertim cum nasalis consona in his infixa esse potuerit) duplicem formam præbuisse, quorum una in consonam tenuem, altera in mediam desinebat: v. Brugmann, *Grundriss*, I, §§ 221; 469,7; cf. Osthoff, *M. U.* IV, 328; Kluge, *Beitr.* IX, 180 sqq.

20. Germ. **hanhanan*, got. *hāhan* « αἴρειν », ahd. *hāhan* « suspendere figere », ags. *hōn* « suspendere », afr. *huā;* an. *hanga* modo validam, modo debilem conjugationem sequitur.

Cf. ahd. *hengen* « suspendere, permittere, pati, sequi », *hangēn* « pendere, hærere », ags. *hangian, hongian,* as. *hangōn,* ahd. *ubar-hang, umbi-hang* « aulea, cortina », got. *faur(a)-hāh,* n. « καταπέτασμα », an. *hangi* « qui pendet », ags. *henge* « quod pendet ».

Incertum est unde radix germanica *hanh, hang* originem ducat. Fick radicem sanscriticam *çank* « dubitare » (Whitney, *R.* p. 170) consimilem esse putat; de Saussure, *Mém.* p. 59, radicem *hanh* eamdem originem atque lat. *cancelli,* gr. κάκαλον « mœnia », habere existimat.

B. — *De verbis secundæ classis.*

1. Verbum germ. **aikanan,* got. *af-aikan* « repudiare, i. e. aliquid a se amovere », an. p. p. *eikenn* « commotus, ferus », ex indoeuropæa radice *aịg* informatum est, unde etiam sanscritica *ej* (Withney, *R.* 16, Bergaigne et Henry, *Man. véd.*, p. 212) « moveri », gr. αἶγες « fluctus, undæ », αἰγίς « procella, Ægis », ἐπαιγίζειν « irruere », καταιγίς « procella ». Ab eadem radice *aịg* etiam ductum est substantivum germ. **aik-jō,* ahd. *eih* (*hh*), ags. *āc, ǣc,* afr. *ēk* « quercus, robur », an. *eikr* « arbor », cf. gr. αἴγειρος « populus nigra ». (v. Osthoff, *Beitr.* XIII, 395 sq.; XIV, 379 sq.)

2. Germ. **aiskanan* (??) « poscere ». In lingua diutisca mediævali (mhd.) *eischen,* secundum validam conjugationem flectitur (p. *iesch, ge-eischen; vr-iesch,* cet.); in ceteris autem dialectis debilem conjugationem sequitur : ahd. *eiskōn,* as. *ēskōn,* ags. *āscian ǣscian,* afr. *askia aschia.* Inde patet verbum *eischen* sicut *halsen* primitus debile, in analogiam verborum validorum raptum fuisse.

3. Germ. **haitanan :* got. *haitan* « ἐπικαλεῖν, καλεῖν, φωνεῖν τινά, ἐρωτᾶν, κελεύειν », ahd. *heizan* « vocare, dicere, jubere ; vocari,

dici », an. *heita* « vocare, nominare, promittere, devovere », ags. *hātan* « vocare, jubere, devovere, promittere », as. *hētan* « nominare, vocare, vocari », afr. *hēta*.

Ab eadem radice ducta sunt :

Germ. **haitai* « vocor », **haitadai* « vocatur », got. *haitada*, an. *heite* (on. *hētir*), ags. *hātte* (*hætte*). — v. Scherer, *Z. G. d. d. Spr.* 307 ; Sievers, *Beitr.* VI, 561, sqq. ; Schmidt, *K. Zs.* XXVI, 43.

Got. *anda-hait* n. « ὁμολογία », *bi-hait* n. « ἐριθεία », *ga-hait* n. « ἐπαγγελία », *haiti* f. « κέλευσμα » ; ahd. *ant-heiz* m. « votum », *bi-heiz* m. « devotio », mhd. *ge-heiz* m. « jussus » ; an. *heit* n. « promissum, votum », *heit* pl. n. « minæ » ; as. *and-hēti* adj. « sponsus ».

Ad eamdem originem atque radicem *hait* (prægerm. *qaịd*) licet fortasse referas radicem germanicam *haid* cui radix indoeuropæa *qeịt*, respondet : scr. *cit* (Bergaigne et Henry, *Man. véd.*, p. 227) « videre, cognoscere, apparere », cf. scr. *ketú* « flamma », got. *haidus* « τρόπος », adh. *heit* « persona, sexus, ordo, gradus », ags. *hād* « gradus, conditio, status », as. *hēd hēth* « status, dignitas », an. *heiþr* « honos, dignitas » ; germ. *haidra*-adj. « serenus, innubis », ahd. *heitar*, as. *hēdar*, ags. *hādor* ; an. *heiþr*, cf. subst. *heiþ* « cœlum serenum ».

4. Germ. **fraisanan* : got. *fraisan* « πειράζειν » ; in ceteris germanicis dialectis, **fraisanan* in similitudinem verborum debilium raptum est : ags. *frāsian freàsian*, ahd. *freisōn*, as. *frēsōn* ; cf. an. *freista*.

Ad eamdem originem referenda sunt got. *fraistubni* f. (*fraistōbni*) « πειρασμός », ahd. *freisa* f. « tentatio, periculum », as. *frēsa* f. « periculum, pernicies ». Vix credendum est radicem *frais* ex *farais* ortam et ab eadem origine qua radix germ. *fer*, *far*, indoeur. *per* (lat. *periculum*, *ex-periri*, cet.) ductam esse.

5. Germ. **laikanan* : got. *laikan* « σκιρτᾶν » ; an. *leika* « ludere, moveri », ags. *lācan* « saltare, ludere, sacra facere », cf. mhd. *leichen* « vexare, decipere ».

Cf. got. *laiks* « χόρος », an. *leikr* « ludus, saltatio », ags. *lāc*

« saltatio, sacrificium, certamen, pugna »; ahd. *-leih, chlaf-leich* « fragor » cet., mhd. *weterleich* « fulgur », cf. ahd. *leich* « modus, modulus »; germ. **laikjanan:* ags. *lǣcean* « tolli, surgere », cf. *āg-lǣcean* « vexator » ? mhd. *leichen ?* (v. supra).

Germanicæ radici *laik* videtur sanscritica *rej* « tremere » (v. Whitney, *R*. p. 144) respondere; cf. Bugge, *Zs. f. d. A*. XX, 11; Möller, *K. Zs*. XXIV, 483.

6. Germ. **maitanan:* got. *maitan* « κόπτειν τι » (cf. *bi-mait* « περιτομή »), ahd. *meizan* « scindere, incidere » (cf. p. p. *far-meizit wirdit* « absciditur » Graff, II, 911, quod a verbo debili **meiz(j)en* flexum est); an. *meita* « scindere, secare » debilem conjugationem sequitur.

Cf. adh. *meizil* « cisura, celtes, fr. ciseau », an. *meitill* « celtes ».

Haud verisimile est radicem *mait* ab eadem origine atque lat. *minuere,* scr. *mi* ductam esse.

7. Germanici verbi **skaiþanan* (p. **ske-skaiþe,* p. p. **skaidanas*) stirps aut in spirantem consonam þ aut, accentu ex stirpe in terminationem cadente, in mediam *d* desinit. Formam *skaid,* gotica lingua et anglosaxonica (got. *skaidan* « χωρίζειν, διχάζειν, χωρίζεσθαι », ags. *scādan sceádan* », cf. ahd. *gisceitan*) formam *skaiþ* saxonica, diutisca et frisica lingua (ahd. *sceidan* « separare, segregare, discernere, distinguere, judicare »; as. *skēdan,* Mon., *skēthan* Cottun., andd. Denkm.; afr. *skētha*), analogiæ lege ad informandas pariter præsentis, præteriti, participiique stirpes usurpant.

Vocabula a radice germ. *skaiþ, skaid* derivata aut diphthongum *ai* aut vocalem *i,* seu brevem seu promissam in stirpe exhibent.

Diphthongum *ai* præbent: germ. **skaiþ-jō,* f. « vagina »; an. *skeiðer* (pl.), as. *skēðia* f., ags. *scǣd* f., ahd. *sceida* f. —; ahd. *untar-sceit* m. « distinctio », *ga-sceit* n. « discretio, divisio », as. *gi-scēd* n. « responsum, decisio, peritia », ags. *ge-sceád, - scād* n. « separatio, distinctio, ratio »; — cf. an. *skeið,* n. « spatium, stadium, impetus »; — cf. ahd. *sceitila* f. « vertex », as. *sceithlo, scētlo* m., ags. *sceáda*.

Vocalem *ī* promissam (quæ ex indoeur. *ī* aut *ei̯* æque nascitur) exhibent : germ. **skīdô*, aut *skīþijō ;* mhd. *schīten schīden* « diffindere », quod verbum secundum primam classem verborum validorum flectitur ; cf. ahd. *grabun-scit* « manubrium » (Graff, VI, 439), mhd. *schīt* n. *scheite* f. « ligni ramenta, schidiæ », nhd. *scheit* (cf. Kluge, *Wb. : scheitern, scheiterhaufen*), an. *scīð* n. « lignea tabula », ags. *scīde* « scindula » ; — verbum germ. *skītō* « cacare » (an. *skíta*, ags. *scītan*, ahd. *scīzan*) secundum primam classem verborum validorum flectitur ; cf. an. *skítr* m. « merda », *skita* f., mhd. *schīze* « diarrhœa. »

Vocalem *i* brevem usurpant : ahd. *scidōn* « dividere, decernere », as. *far-scithōn ;* cf. ahd. *scidunga* f. « differentia, divortium », mhd. *scidunge ;* mhd. *schit* (*schiet*) m. « sententia », *schide-man* « arbiter, sequester » *schide-lich* « pacificus » ; *schitere* « tenuis ». — Cf. ahd. *scintan, scindan* (p. *scinta*, p. p. *ga-scindit*) « excoriare, decorticare, revellere », mhd. *schinden schinten schinnen* (p. *schant, schunten* aut *schinte*) quod verbum primitus debile, analogiæ verborum validorum obtemperavisse videtur ; — cf. an. *skinn* n. « cutis » ; — cf. ahd. *scindala scintala* f. quod substantivum Germani sexto sæculo a Latinis mutuati sunt (lat. *scandula scindula*, gr. σχινδαλμός).

Radici germanicæ *skaiþ skaid* respondet indoeuropæa *sqhai̯d* (*sqhai̯t*) quæ plerumque in mediam *d* desinit (*sqhai̯d*) et in stirpe diphthongum *ai̯* aut vocalem *i* seu brevem, seu promissam exhibet ; num etiam diphthongus *ei̯* exstiterit, ambigitur. (v. Osthoff, *M. U.* IV, 81 sq., 95, 324 sqq. ; Brugmann, *Grundriss*, I, § 553.)

— *Sqhai̯d*, — lat. *cædo.*

— *Sqhīd*, — abulg. *čistŭ* « purus sanctus », lit *skýstas* « tenuis, purus, clarus ».

— *Sqhid sqhit*, — scr. *chid* « scindere » (Whitney, *R.* p. 50), av. *scind-ayēiti* « scindit », lat. *scindere, scissus*, gr. σχίζω, σχισμός, σχινδαλμός (cf. L. Meyer, *Vergl. Gramm.* p. 1053 sq.); lit. *skédziu* « tenuare », *skědrà* « ligni ramenta », lett. *skait-ýti* « numerare ».

8. Germ. **swaipanan*, ags. *swāpan* « tergere, verrere, expellere, adflare », an. *sveipa* (p. *sveip*, v. Noreen, *An. Gramm.*, § 418, schw. *sweip(a)ða*; p. p. *sveipenn*) « jacĕre, involvere, sæpire, percutere », as. p. *for-swēp*, H. 1108 « depulit », afr. **svēpa* « verrere » (*mith swēpene*, Richthofen, 1058); ab eadem origine ductum videtur verbum ahd. *sweifan* « volutare, nectere ».

Diphthongum *ai* in stirpe exhibent nonnulla vocabula ab eadem radice ducta, videlicet : ahd. *sweif* m. « fascia, cauda », an. *sveipr* « fascia, plica », cf. ags. *ge-swāp* n. « purgamenta », ahd. *ā-sweif* « purgamentum » (Graff, VI, 901).

Vocalem *ī* (prægerm. *ī*? aut *ei̯* ?) præbet got. *midjasweipains* « κατακλυσμός ».

Stirpem *swip* usurpant : an. *svipr* « ictus, impetus, damnum », *svipa* « moveri, relucere, verberare », *svipa f.* « flagellum », *svipan* f. « impetus », *svipta* « motu citato aliquid ostendere aut tollere » ; cf. ags. *swift* « rapidus », *swip* (*sweopu swipe*), f. « flagellum », ahd. *swipian* « verberare » ; cf. mhd. *swif* (*swiffes*) m. « motus citatus », *swippe* f. « flagellum », ahd. *swipfen* (*sniumo swipfendi* « citato tramite », Graff. VI, 902).

9. Videtur in germanica lingua verbum **swaifanan* exstitisse, cujus præteritum, per iterationem primæ syllabæ informatum, anglosaxonica lingua servavit : ags. *forsweóf* « depulit » (Beow. 2815). Cujus in vicem plerumque verbum germ. **swīfō*: an. *svífa* (p. *sveif* aut *svífða*) « ire, moveri », mhd. *swīfen* (p. *sweif*) « impellere, celeriter moveri », succedit ; utrum hoc verbum a radice *sweif* (germ. **sweifō*), an a radice *swaif* (germ. **swífijō*) ductum sit, incertum est.

Eamdem radicem *swaif*, *swif*, mutata spirante *f* in mediam *b* (*swaib*, *swib*) secundum regulam Vernerianam exhibent : ahd. *sweibōn*, mhd. *sweiben* « ferri, volvi, incitatum esse », cf. as. *bĕrg swēvōt* ?? « mons coagulatus », Ps. 67, 16 ; — cf. germ. **swibējanan*; ahd. *swebēn swepēn* *swebōn* « ferri, nare » ; *swēb* « aer, vanum, gurges ».

Radices germanicas *swaip* et *swaif* (*swaib*) a radice prægerm. *su̯ai̯q*, *su̯aig*, mutatis velaribus consonis *q* et *g* in labiales *f* et *p*

ortas fortasse existimabis (v. Brugmann, *Grundriss,* I, § 444). A stirpe *sṷai̯g* ducta videntur lit. *swaikstù* (p. *swaigaũ*) « vertigine laborare », *swaigulỹs* « vertigo », *swaiginė́ju* « labare, vacillare » (cf. Schade, *Ad. Wb.* II, p. 908, 909, 914).

10. Germ. **taisanan:* ahd. *zeisan* « carpere, discerpere », mhd. *zeisen;* ags. *tǣsan* « carpere, vellicare » conjugationem debilem sequitur.

Cf. ahd. *zeisala* f. « carduus niger, scoliasmus », ags. *tæsel* « dipsacus ». — Incertum est an ab eadem radice *tais* ducta sint ags. *tǣs* « afflictio », *tesu teosu* « damnum, interitus, contentio, præjudicium ».

11. Germ. **þlaihanan:* got. *ga-þlaihan* « παρακαλεῖν », cf. *ga-þlaihts* f. « παράκλησις, παραμύθιον ». A radice *þlaih-*, mutatis consonantibus *þl.* in *fl* (v. Sievers, *Beitr.* V, 531 sqq.; Osthoff, *Beitr.* VIII, 146 sqq.; Brugmann, *Grundriss,* I, § 374; Kluge, *Grundriss d. germ. Ph.* I, § 30, 4) ducta sunt: ags. *flāh* « subdolus, fraudulentus, infestus », an. *flár* « laxus, falsus, subdolus », ahd. *flēhan* (?), *flēhōn, flĕhōn* (?) « implorare, supplicare, deprecari »; *flegilōn* « adulari », *fleha, flega* f. « deprecatio, blanditiæ », mhd. *vlēgen, vlēhe.*

Germanicæ radici *þlaih* respondet indoeur. *tlai̯k* « instantius, blandius loqui »; cf. gr. λαικάς f. « meretrix », lat. *lēna, lēno* (pro **tlaic-s-nā* cet.). — v. Osthoff, *Beitr.* XIII, 399 sqq.

12. Germ. **blaitanan*(?), ags. *blātan* (p. *bléot blēt,* p. p. *blāten*), v. Bosw.-Toller, *Ags. Dict.* « livere »; cf. *blāt* « lividus, pallidus », ahd. *bleizza* « livor ». — Num germanica radix *blai-t* cum radice *blei-k* « fulgere, pallere » (unde *bleich, bleichen* cet.) aut cum radice *ble-k* « fulgere » (unde *blecken, blitz* cet.), cognata sit, nescio.

13. Germ. **hnaitanan* (?), ags. *hnātan* (p. *hneót*) « percutere, tundere », v. Bosw.-Toller, *Ags. Dict.;* quod verbum ex germ. **hneitanan* « percutere, tundere », ags. *hnītan* (p. *hnāt, hniton,* p. p. *hniten*), an. *hnita* (p. *hneit hnitum*) quin ortum sit vix dubito; germanicæ radici *hneit hnit* respondet indoeuropæa *sqhnei̯d;* cf. gr. κνίζω « pungo », κνίδη « urtica », κνίζα « prurigo », κνίσμα « punctio ». — v. Johansson, *Beitr.* XIV, 354.

C. — *De verbis tertiæ classis.*

1. Germ. **aukanan* « augere » : got. *aukan,* an. *auka* (quod verbum nonnunquam secundum conjugationem debilem flectitur) cf. p. p. ags. *eácen* « auctus, magnus, potens, gravidus », as. *ōkan* « gravidus », afr. *te bi-ākane* « ad locupletandum » *āken* « auctus ».

Ab eadem radice ducta sunt verba debilia : ags. *ēcan* « augere » apponere », as. *ōkian,* H., *ge-ōcōn,* PS. Gl. L. « augere », ahd. *auhhōn ouhhōn ouchōn* « augere, addere, addicere » ; — cf. an. *auki* m. « augmentum », ags. *eáca* m. « additamentum », ahd. *auhhunga* f.

Germanicæ radici *auk* aptissime respondet indoeuropæa *au̯g :* scr. *ójas* (av. *aojah*), *ójman* « robur », gr. αὔξω, αὐξάνω « augere », pass. fut. αὐξήσομαι « crescere », lat. *augēre, augustus, augmen, augmentum,* lit. *áugu* « cresco », air. *ōg* « integer »; quæ radix gradum leviorem II *ug* (scr. *ugrá* « potens », avest. *ughra-*) et gradum leviorem I *ūg* (lit. *ũgis* m. « incrementum, nova virga, *ũglis* m. « gemmula ») præbet (cf. Osthoff, *M. U.* IV, 337; Brugmann, *Grundriss,* § 93 sq.).

Radici *au̯g* sine dubio eadem aut certe simillima origo est atque radicibus *u̯eg, u̯og, u̯g* [lat. *vigil vegēre,* cf. got. *wakan* « ἐγρηγορεῖν » ; cf. indoeurop. **u̯ogei̯ō :* scr. *vājáyati* « confirmare stimulare », germ. **wakjō* « e somno excitare » (v. Kluge, *Wb. : wecken*)] et *u̯eks, u̯oks uks* (pro *u̯eg-s*) [scr. *vakṣ ukṣ* « crescere » ; v. Bergaigne et Henry, *Man. véd.* p. 207, 291, germ. **wahsō* « cresco » (v. Kluge, *Wb. : wachsen*); cf. scr. *ukṣan* « taurus », germ. *ohsan-* « bos »]. — v. de Saussure, *Mémoire,* p. 276 sqq.

2. Germ. **ausanan* « haurire », an. *ausa.*

A radice *aus* derivata sunt : germ. *austa-* « oriens », ahd. *ōstan* m. n. ags. *eást,* an. *austr* (gén. *austrs*) m. ; ahd. *ōstana* « ab oriente », ags. *eástene eástan,* as. *ōstan(a)*; ahd. as. *ōstar* « in orientem ». Cf. germ. **austrō* (pro **ausrō*) « Germanorum dea veris, quæ postea nomen dedit paschalibus christianorum solem-

nibus » : adh. *ōstara* f. (pl. *ōstarūn*), ags. *eáster* n. *eástro* f. pl. dial. *Eostra* f. sing. (Beda).

Germanicæ radici *aus* respondet indoeuropæa *au̯s, us* : gr. αὔειν « inflammare » (πῦρ αὔειν = ignem haurire), lat. *hauriō* (pro **ausiō*).

Cf. indoeur. *Au̯sōs* « aurora, id est dea quæ diem affert, lucem *haurit* aut mutuatur », gr. ἠώς, lesb. αὔως, lat. *aurōra*, lit. *aūszta* « lucet », *auszrà* f. « aurora ». Cf. scr. *uṣás* (avest. *ushāo*) « aurora », *usrá* « ruber ».

Ut radici *au̯g* radices *u̯eg* et *u̯eks*, ita cum radice *au̯s* radix *u̯es, us* (scr. *vas* « lucere, fulgere; » v. Bergaigne et Henry, *Man. véd.* p. 296), cognata videtur. Ad eamdem originem etiam radix *eu̯s, us* : gr. εὔω, scr. *óṣāmi*, lat. *ūrō* referenda est.

(v. Osthoff, *Perf.*, 484 sqq.; Kluge, *Wb : Osten, Ostern;* L. Meyer, *Vergl. Gramm.* I, 72, 111, 309 sq., 778).

3. Germ. **bautanan :* ags. *beátan* « percutere, tundere »; an. *bauta* « tundere » [1 pl. ind. præs. *bautom ;* p. p. *-bautenn* « percussus » in *sverð-bautenn* cet.] plerumque debilem conjugationem sequitur (p. *bautaða*); ahd. *pōzan paozan* « tundere », mhd. *bōzen* (p. *biez bōzte,* p. p. *gebōzen*); an etiam verbum *biuzen būzen biezen* lingua diutisca mediævalis usurpaverit, incertum est. (V. Lexer, *Mhd. Wb ;* Osthoff, *M. U.* IV, 336.)

Ad radicem *baut* referenda sunt : an.*-bauti* « qui tundit » (*farbauti, byl-bauti* cet.), *bútr* « lignum », ags. *ge-beát* « percussus » (subst.), cf. langob. *wala-pauz* « est dum quis alienum furtivum vestimentum induit aut si caput, latrocinandi animo, aut faciem transfiguraverit » (Leg. Roth. 31.). Cf. ahd. *ana-pōz* « incus », mhd. *ane-bōz* « incus », *bōz biuz būz* m. n. « ictus » ; ahd. *bī-bōz* « artemisia » (v. Kluge, *Wb: beifusz*); ags. *bȳtl* « malleus », *bȳtla* « ædificator », *bȳtlian* « ædificare » (v. Kluge, *Wb : Beutel, bosseln*); ahd. *bōzo* m. « fasciculus ».

In romanis quæ dicuntur linguis apparent nonnulla vocabula a radice *baut* derivata, quæ a Germanorum sermone assumpta sunt : ital. *bottare buttare,* esp. port. prov. *botar,* fr. *bouter ;* ital. *botto botta,* fr. *botte, bout ;* ital. *bottone,* esp. prov. *boton,*

fr. *bouton;* ital. *bozza,* prov. *bossa,* fr. *bosse, bossu.* (v. Schade: *Ad. Wb.*)

Germ. **hawwanan* (**hauwanan*), an. **haggwan* « secare, tundere », *hǫggva* (v. Kögel, *Beitr.* IX, 523 sqq.; cf. Braune, *Beitr.* IX, 545), ahd. *houwan,* ags. *heáwan,* cf. fr. *houer.*

Ex eadem radice informata sunt: germ. **hauja,* gén. **haujōs* [1], got. *havi* (dat. *hauja*) n. « χόρτος », ahd. *hewi hewe houwe hou* (gén. *hewes,* dat. *hewe*) n. « fœnum », ags. *hig heg* (*hœg*), an. *hey,* as. gen. *hōgias* (Düsseld. Gl. 582, 50). v. Graff, IV, 708; Kögel, *Beitr.* IX, 526, 531, 534; Jellinek, *Beitr.* XIV, 584. — Cf. ahd. *houwa howa* « rastrum, fossorium, sarculum », fr. *houe, hoyau.* — Ut a stirpe *qiwa-* ahd. *quec,* ita a stirpe *hawwa-* vocabula ags. *haca* « pessulus », *hæcce* « pedum », *hōc* « uncus, angulus », *haccian* (*hæccean*) « fodere », afr. *tohakia* « concidere », mhd. *hacken* informata sunt (V. Kluge, *Wb: hacken,* cf. *Keck.*)

Germanicæ radici *haw(w)* respondet indoeuropæa *keu̯*? *kau̯*? cf. abulg. *kovati* « cudere », *kovū* « quod cuditur », *kovà* « pugna », lit. *káuju* « cudo, verbero », lett. *kauju* « verbero ».

5. Germ. **hlaupanan;* got. *us-hlaupands* « ἀναπηδήσας » (Lb. ad Mc. 10, 50), ahd. *hlaufan loufan* « currere », ags. *hleápan* « salire, currere », as. *hloupan* Ps., afr. *hlāpa,* an. *hlaupa* (anorw. *laupa,* on. *lopa,* agutn. *laupa*).

Cf. ahd. *hlouf(t)* m. *hlouftī* f. « cursus », ags. *hlȳp* m. « saltus », afr. *bec-hlēp,* an. *hlaup* n. cf. *hleypa* « cogere aliquem exsultare », as. (*gegin-*)*loup.*

De origine germanicæ radicis *hlaup,* prægerm. *klau̯b*(?) *qlau̯b*(?) nihil certo compertum. (V. Schade, *Wb,* I, p. 405; cf. Kluge, *Wb: laufen.*)

6. Germ. **skraudanan:* ahd. *scrōtan* « demere, eripere, tundere »; ags. *screádian* « secare », afr. *skrēda* et mhd. *schrōten* (p. *schrōte,* p. p. *geschrōt*) conjugationem debilem sequuntur.

Ad radicem *skrauþ, skraud* (*skrūd*) referre licebit: ahd. *schrōt* m.

1. Kluge germanico substantivo **hauja* respondere gr. πόα ion. ποίη « gramen » (pro *ποFίη, *χFοFίη) conjicit (*Wb: heu*).

« sectio, fragmentum » ; mhd. *schrœter* « qui secat, vestifex » ; ags. *scrūd* n. « vestis », *scrȳdan* « vestire » ; afr. *scrēd schrēd* « sectio capillorum », *scrēder(e)* « qui nummos radit » ; an. *skrúð* n. « armamenta navis, ornamentum, textum », *skrúði* m. « ornamentum », *skrýða* « vestire, exornare », *skrjóðr* « liber lacer ». Gradum leviorem II vocalis servant ahd. *scrutōn* (T.), *scrodōn scrutilōn, scrudolōn* « scrutari », *scrodunga, scrod* (acc. pl.) « scrutatio », cf. ags. *scrudnian* « scrutari, investigare ».

Videtur germanica radix *skrauþ skraud* eadem esse quæ indoeuropæa *skraut* (*skrūt, skrut*) : v. gr. χραύειν, lat. *scrūtāri, scrūtinium, scrūta*, pl. n. ; lit. *skraudus* « asper ». Incertum est utrum verbum ahd. *scrutōn* (sicut cetera vocabula quæ leviorem gradum II vocalis præbent), a radice *skraud* derivatum, an de latino *scrūtari* nono sæculo flexum fuerit. (v. Schade, *Ad. Wb.* 808 ; Kluge, *Wb : Schrot.*)

7. Germ. **stautanan*, got. *stautan* « τύπτειν, ῥαπίζειν », ahd. *stōzan* « percutere, tundere », as. p. p. *te-stōtan*, Gl. L. 129, afr. p. p. *thruch-stēten ;* verbum *stēta* in frisica lingua secundum conjugationem debilem flectitur.

Gradum leviorem II radicis *staut*, id est *stut*, in germanica lingua præbent : ahd. *erstuzzen, untar-stuzzen* « sustentare, fulcire », *stuzzelingūn* « temere, temerarie », mhd. *stutz* « impulsus ictus » (v. Kluge, *Wb : stutzen*, etiam *stottern*). — A stirpe *stuþ stud* derivata sund ahd. *studen* (p. *studita*) *ga-studnōn* « statuere, fundare », mhd. *stud* f. *studel* n. « postis », ags. *studu studu* « postis », an. *stydja* « sustentare », *stuðill* « columna ».

Ad eamdem originem quam radix *staut* referenda est radix *þeut*, germ. **þeutō*, an. *þjóta*, ags. *ðeótan* (*þūtan ? M. U.* IV, 10, 355) « murmurare, ululare », ahd. *diozan* « strepere, stridere, mussare, tremere, personare » ; quæ verba secundum classem II verborum validorum flectuntur. A stirpe *þeut-*, ahd. *wazzer-diezo* « cataracta », mhd. *diez* m. « fragor », ags. *þeóte* « tubus, buccina », *aþȳtan* « buccinare », *geþeót* « ululatus » ; a stirpe *þaut-*, ahd. *dōz tōz* m. « sonitus, fragor, sonus », *dōzōn* « intonare » ; a stirpe *þūt ? þūt*, got. *þūthaurn* « σάλπιγξ », *þūthaurnjan*

« σαλπίζειν », cf. mhd. *duz* « fragor », an. *þytr* m. « fragor, ululatus », *þot* n. « impetus, tumultus », informata sunt.

Germanicæ radici *staut* (*stauþ staud*) *þeut* respondet indoeuropæa (*s*)*taud* (*staut*), cf. scr. *tud* « pellere, percutere » (Whitney, *R.* p. 63), gr. Τυδεύς, lat. *tundo, tutudimus, tudes, tuditare;* p. p. *tūsus* (pro **tūd-tos*); perfectum *tu-tūdi, con-tūdit* non ex **te-tou̯d-e* sed potius ex **te-tau̯d-e* (cf. *con-clūdō* ex * *con-claudō*) pl. **te-tŭd-m̥mém* ortum esse conjicit Osthoff, *M. U.* IV, 335 sq.

8. Occurrunt etiam in germanica lingua nonnulla verba quæ cum formas ad verba valida secundæ classis per apophoniam informata pertinentes, tum etiam formas ad verba quæ reduplicatum præteritum præbent referendas exhibent. Ita occurrunt nobis verba germ. **brautanan* (ags. *breátan,* p. *breót,* p. p. *breátan* « frangere ») et **breutanan* (ags. *breótan,* p. *breát bruton,* p. p. *broten;* an. *brjóta,* p. *braut bruto*(*m*) « frangere », mhd. *briezen,* p. *brōz,* p. p. *gebrozzen* « prodire, exsistere »); verba germ. **haufanan?* (ags. pl. *heófun heófon*) et **heufanan* (got. *hiufan* « nænias canere », ahd. *hiufan, hiuban, hiupan,* as. *hioban,* p. *hōf* [Genesis, 771], ags. *heófan, heófian,* p. *heófde*); verba **hnaupanan?* (ags. p. *hneóp,* ἅπ. λεγ.) et **hneupanan* (got. *dishniupan* (διαρρηγνύναι τι ». L. 8, 29; cf. *dishnaupnodēdun,* Luc. 5, 6).

D. — *De verbis quartæ classis.*

α) Ab iis verbis ordiemur quæ in radice vocalem *ō* promissam, subacta consonante, in germanica lingua exhibent.

1. Germ. **blōtanan:* got. *blōtan* « σέβεσθαί τινα, λατρεύειν », ahd. *blōzan, bluozan* « sacrificare, libare, immolare, adolere », ags. *blōtan;* an. *blóta* nonnunquam conjugationem debilem sequitur.

Ab eadem radice *blōt-* ducta sunt: got. *blōtinassus* m. θρησκεία, λατρεία, σέβασμα », *usblōteins* f. « παράκλησις », ahd. *blōz-hūs* « fanum », an. *blót* n. « idolatria, sacrificium », ags. *blōt-mōnað* « sacrificiorum mensis, id est November »; — cf.

got. *guþ-blōstreis* m. « θεοσεβής », ahd. *bluostar* « libamen, sacrificium, victima, idolatria », *bluostrāri* m. « sacrificator », *blostarhūs* « idolium » ; — cf. ags. *bletsi(g)an* « benedicere, consecrare », an. *bleza, bletza, blessa.*

Verbum germ. **blōtō* a radice *blō,* addita syllaba dirivativa *-tō* dirivatum esse videtur (cf. *sal-tō,* cet.) ; ex qua radice etiam informatum esse verisimile est substantivum germ. **blō-þam* (**blō-dam*) « sanguis », got. *blōþ,* ahd. *bluot,* as. ags. afr. *blōd,* an. *blóð.*

An hæc radix eadem sit quæ radix germ. *blē, blō* « turgescere, florere », *blē-s blō-s* « flare, florere » (v. Bremer, *Beitr.* XI, 278, 281) difficile est dijudicare.

2. Germ. **flōkanan*: got. p. *faiflōkun* Lc. 8, 52 « ἐκόπτοντο », an. p. p. *flókenn* « perplexus, confusus », as. p. p. *far-flōkane* H. 4422 « maledicti », ahd. p. p. *ar-fluahhan, far-fluahhan* « malignus, maledictus », afr. p. p. *ur-flōkin;* verba as. *flōkan,* ahd. *fluohhōn,* m. « maledicere, imprecari » secundum conjugationem debilem flectuntur.

Radicem *flōk* substantivum ahd. *fluoh* m. « maledictio, imprecatio » exhibet.

Germanicæ radici *flōk* aptissime respondet indoeuropæa *plāg* (L. Meyer, *Vergl. Gramm.*, p. 874 sq.; de Saussure, *Mém.* p. 59).

Plāg : gr. πληγή dor. πλᾱγᾱ, lat. *plāga ;* πλήσσειν, πέπληγα (hom.) cet. « ferire, verberare » ;

Plăg : gr. ἐξεπλάγην (Herod.);

Plang: gr. πλάζω, ἔπλαγξα « tundo », πλαγκτός « errabundus, stolidus », lat. *plango.*

3. Germ. **hrōpjanan* p. **hre-hrōpe.* Quod ad goticum verbum *hrōpjan* « βοᾶν, κραυγάζειν, κράζειν » attinet, analogiæ lege præteritum *hrōpida,* secundum debilem conjugationem, ut *nasjan* « nutrire » p. *nasida,* informatum est; an. *hrópa,* sicut got. *hrōpjan,* analogiæ verborum debilium obtemperavit. Anglosaxonum, Saxonum et Frisonum sermones, ad informandam præsentis stirpem non elementum *jo-, je-,* sed vocalem *o, e,* ut in verbis validis mos est, usurpant : ags. *hrōpan* « clamare » (p. *hreóp*), as. *hrōpan* (p. *hriop*), afr. *by-rōpa* (p. p. *hrōpen, bi-hrēpen*). In diutisca

lingua, analogiæ lege, duo verba ex uno facta sunt : unum validum *hruofan* (p. *hriof*), alterum debile *hruofen* (p. *hruofta*).

A radice *hrōp* ducta sunt : got. *hrōpi* (?) *hrōpei* (?) *hrōps* (?) « κραυγή », an. *hróp* n. « vituperatio, calumnia » *hroptr, hroptatýr* « clamator » (cognomen dei Othini), ags. *hrōp* m. « clamor », ahd. *hruof, hruoft* m. *hruoft*, f. « clamor », nhd. *ruf, gerücht, ruchbar, anrüchig*, cet.

Ut radici germanicæ *swaip* respondet indoeuropæa *su̯aig* in *g* consonam velarem desinens, ita radici *hrōp* radix *krāg* respondere videtur, ex qua gr. κράζω (= *κραγιω) p. κέκρᾱγα « clamo », κραγέτης « clamator » (v. L. Meyer, *Vergl. Gramm.* p. 870 sq. ; Ernault, *Parf.* p. 66), fortasse etiam κρώζω « crocire », κρωγμός « crocitus », derivata sunt.

4 Germ. **hwōpanan :* got. *hwōpan* « καυχᾶσθαι », cf. *hwōftuli* f. « καύχημα, καύχησις » ; ags. *hwōpan* « minari ». — Quæ fuerit origo radicis germanicæ *hwōp* (prægerm. *qu̯ōb ? qu̯āb ?*) omnino incertum est.

5. Germ. **hwōs-janan* « flare, spirare » : ags. 3 s. *hwēst* (p. *hweós*) ; angl. *wheeze* et an. *hvæsa* « sibilare » ad conjugationem debilem transierunt.

Ad eamdem originem referre licet : ags. *hwæst* « spiritus, flatus », ags. *hwōsta* m. « tussis », ahd. *huosto* m., an. *hósti* m. cf. *huostōn, huastōn* « tussire », an. *hósta*, (v. Sievers, *Ags. Gr.* p. 166 ; *Beitr.* IX, 287 ; Schade, *Ad. Wb.* 433, 438 ; Kluge, *Wb. husten*).

Germanicæ radici *hōs* respondere videtur scr. *kâ̆sikā* « tussis », cf. lit. *kósiu kóseti* « tussire », abulg. *kašili* m. « tussis » ; cum radice *hwōs* fortasse compares licebit scr. *çvas* « flare, sibilare ».

6. Germ. **swōg-janan*, p. **swe-swōge* (cf. supra **hrōp-janan : *hre-hrōpe*) : got. *swōgjan* « στενάζειν » (*uf-swōgjands*, Mc. 8, 12, *ga-swōgida*, Mc. 7, 34) debilem conjugationem sequitur ; cf. *swōgatjan* « στενάζειν », *swēgnian* (*swignian ?*) « ἀγαλλιάζειν » ; — ags. *swōgan* « strepere » (p. *ðurh-sweógh*, « pervaserat », *sweógon* « prævaluerunt », cf. *sweógode* « prævaluit »), *swēgan* (*swōgian swēcan*) « tumultuari, strepere », cf. *swēg* « clangor, sonitus, toni-

tru » ; — as. *swōgan* « strepere ». — Verbi **swōg-janan* sensus primitus « fragose procedere » fuisse videtur; cf. H. 5798 (Cottun.) : « *thār swōgan quam engil thes alowaldon obana fan radure* » « tum lapsus est cum strepitu angelus domini de cœlo » ; anglosaxonicum igitur verbum *swōgan* cum per « strepere », tum etiam per « invadere, pervadere, prævalere cet. » redditur; v. Sievers, *Beitr.* IX, 286, sq.

Germanica radix *swēg* (*swōg*) ex indoeuropæa *su̯ēgh* orta est, a qua vocabula gr. ἰάχω (pro Fι-Fαχω) « vociferor, insono », aor. ἄχον (pro Fαχον), cf. δυς-ηχής (pro δυς-Fηχης) « acerbus », lat. *vagire*, ducta esse conjicit Schulze, *K. Zs.* XXIX, 230 sqq.

7. Germ. **wōp-janan* (p. **we-wōpe* (cf. supra **hrōp-janan*): got. *wōpjan* (p. *wōpida*) « βοᾶν », ahd. *wuofan* (*wiof*) aut *wuofen* (*wuofta wuofita*) « flere, plorare, plangere, lamentari », as. *wōpjan* (p. *wiop*), ags. *wēpan* (p. *weóp*).

Ad radicem *wōp* referre licet ahd. *wuof*(*t*) m. « fletus, luctus planctus, gemitus », as. ags. *wōp* m.

8. Germ. **wrōtanan?* ags. *wrōtan* « effodere, eruere » (ind. præs. 1 *wrōte*, pl. *wrōtad*, p. pr. *wrōtende*), v. Sievers, *Beitr.* IX, 287 ; — ahd. *ruozjan ruozzan* « movere, suscitare, effodere », ostfries. *wrœten*, an. *róta*. Quod verbum, utrum primitus validum fuerit, an ex substantivo ags. *wrōt* « proboscis », ostfries. *wrōte wrœte*, mhd. *ruozel rüezel*, cf. an. *rót hrót* « tumultus », derivatum sit, ex germanicis formis non satis aperte perspicitur.

β) Ad verba transimus quorum præsentis stirps in *ōw* desinit ; quam diphthongum *ōw* ante consonam in *ō*, ante vocalem a Gotis in *au*, a ceteris Germanis in *ū* aut *ō* mutatam fuisse paulo superius jam monstravimus [1]. In vicem diphthongi *ōw* succedere solet in permultis vocabulis a stirpe verborum hujus classis derivatis seu diphthongus *eu* vel *au*, seu vocalis *u* brevis. An et *ū*

1. v. Brugmann, *Grundriss*, I. §§ 142, 179, cf. Noreen, *Urgermansk Judl.*, § 9, ubi scripta enumerantur quæ de hac quæstione implicatissima et controversa tractaverunt.

promissa successerit difficile est dijudicare, cum in omnibus germanicis dialectis (excepta gotica) ex *ū* et *ōw* pariter vocalis *ū* (*ō*) facta sit. Stirpes igitur *bōw, flōw, snōw, trōw,* cet. pro gradu graviore III radicum *beu, fleu, sneu, treu,* cet. fortasse habebis (v. infra, p. 72).

1. Germ. **bōwō,* p. **be-bōwe:* got. *bauan* « οἰκεῖν », ahd. *būan* « habitare, versari, colere » (p. pl. *bi(r)uwun bi(r)uwīs* (Otfrid) as. ags. *būan,* wn. *búa* (ind. præs. pl. *bú(u)m,* p. *bjó*), on. *bōa.*

Vocalis *ū* quæ per periphoniam immutatur sequentibus terminationibus secundæ et tertiæ personæ sing. præs. (germ. *-izi, -iði*), analogiæ lege etiam in prima persona sing., in plurali numero præsentis et infinitivo interdum immutata apparet: an. præs. 1 *bý,* cf. mhd. *biuwen.*

Participium præteriti eamdem vocalem quam præsens exhibet: germ. **bōwanas,* an. *búenn,* on. *bōenn* (pl. *bōner*) « paratus », ags. *ge-būn, ge-būen, bȳn* (north.), mhd. *gebūwen.*

Verbum **bōwanan,* quod jam in antiquiore statu germanicæ linguæ ad debilem conjugationem transiit, primo præteritum informavit aut additis terminationibus germ. *-dō, -dēs* cet. radici nudæ, aut interposito elemento *-ō* aut *-ēi* aut *i* inter radicem et terminationes: p. ahd. *būta,* ags. *būde* on. *bōthe;* got. *bau-ai-da;* as. *bū-i-da,* ags. *bū-e-de,* north. *bȳ-e-de;* mox etiam, analogiæ lege, præsens in similitudinem verborum debilium raptum est: as. *būōn* (Cottun.), ags. *būian būg(i)an,* north. *bȳa.*

Nonnunquam etiam, euphoniæ causa, inter vocalem *ū* radicis et vocalem terminationis interposita est semivocalis *w:* ahd. *būwan,* ags. *būwian,* afr. *būwa* p. *būwde.*

Notandum est denique, in paucis formis, sine dubio analogiæ lege ortis, stirpem præsentis et participii in diphthongum *au* ahd. *ou* desinere: mhd. *bouwen* p. p. *gebouwen* (cf. *stouwen, touwen,* cet.).

Vocabula a stirpe *bōw* derivata in gotica lingua diphthongum *au* (*bauains* « κατοίκησις »), in Scandinavorum lingua et dialectis Germaniæ occidentalis aut *ū* aut *ō* pro germ. *ōw* usurpant:

ū: Ahd. *bū* m. « habitatio », an. *bú* n., ags. *bū bȳ* n., as. *bū* n.

Ahd. *būwo* m. « incola », cf. an. *búi* m. *ná-búi* m. « vicinus ».

Ahd. *būr* n. « habitatio », an. *búr* n., ags. *būr* n. « tabernaculum, conclave, casa ».

Ags. *gebūr* m. « incola, agricola, colonus », *neáhgebūr* « vicinus »; ahd. *gibūro* m. « vicinus, incola, civis, colonus, rusticus » *nāh-gebūro* m. « vicinus, finitimus ».

ō: Mhd. *buode* f. altengl. *bōþ*, cf. an. *būð* f.

An. *bóld* n. « villaris »; ags. *bold, bolt* n. (*ō?*) « ædificium, domicilium, domus ».

An. *bǣr, bœ̄r, bȳr* n. « villa, villaris ».

An. *bóndi* m. [=**bōwund-*] « rusticus, colonus ».

An. *ból* n., *bǫle* n. « villaris ».

Ad eamdem originem certe referenda sunt vocabula quæ a stirpibus *bau* aut *beu* aut *bu* derivata sunt.

Bau: ahd. *bauuan, bouuan,* id est *bouwan,* aut *beuuan,* id est *bewen* « terere, premere ». v. Kögel, *Beitr.* IX, p. 515 sq.

beu: ahd. *bin,* as. *bium,* ags. *beó* « sum »; cf. indoeur. *bheu̯* « esse »; lat. *fio,* gr. φύω, scr. *bhū.* v. Bergaigne et Henry, *Man. véd.,* p. 271. Notandum est verbum græcum φύω sæpe, sicut **bōwō,* incusativum casum recipere et sensum exhibere « creo, facio »; occurrunt etiam glossæ latinæ: *fuat* = « faciat », *fuet* = « faciet ». Itaque in Latinorum et in Græcorum pariter atque in Germanorum lingua verba « sum » et « creo, facio, colo » ab una eademque radice derivantur. v. Osthoff, *M. U.* IV, 24 sqq.

bu: an. *byggja, byggwa* (pro **bu-janan*) « habitare, colere, versari ».

2. Ut verbum **bōwanan,* ita flectitur verbum germanicum **nōwanan:* got. *b-nauan* « ψώχειν » pro **bi-nauan* (p. præs. *bnauandans,* L. 6, 1, ἅπ. λεγ.); an. *bnúa* pro **bi-núa* (3 sing. p. *bnere,* ἅπ. λεγ.), wn. *gnúa* pro **ga-núa,* p. p. *gnúenn*(?) *gnúit;* on. *gnōa* « radere »; ahd. *nūan nūwan* « tundere », p. p. *gi-nuwan ginuan.*

Utrum formæ ahd. *niuwan,* mhd. *niuwen,* p. *nou nuwen,* p. p. *genuwen genewen,* e verbo germanico **newō* **nowe* ortæ sint an analogiæ lege exstiterint (cf. mhd. *biuwan*); utrum formæ

ahd. *nouwan,* mhd. p. p. *genouwen, -nowen, -noun,* adj. *genouwen* « exhaustus, defessus », e verbo germanico **nawwō *nauwō* derivatæ, an analogiæ lege (cf. *bouwen, touwen, stouwen*) flexæ sint, difficile est dijudicare. A germanica stirpe *nau-þi-*derivata sunt got. *nauþs* f. « ἀνάγκη », ahd. *nōt* f. « violentia, necessitas, exactio, tribulatio, angor », as. *nōd* f., afr. *nēd, nāth.* — Cf. an. *nauðr* f. *nauð neyð* f. *neyða* « cogere » ; in Anglosaxonum lingua distinctio inter germ. *nauþi-* et *neuþi-* evanuit, inde formæ : *nīd, neád, nēd, neód, niéd, nȳd* n. aut f. ; cf. *nīdan* cet. « cogere compellere ».

Stirpem germanicam *neu-þi-* exhibent ahd. *niot* m. « desiderium », *niot* « avidus », *niotōn* « petere, delectari » ; as. *niud* m. *gi-niudōn,* afr. *niod ;* ags. *nīd* cet. (*ge*)*nīdan* cet.

3. Germ. **snōwanan* « vertere, festinare » : wn. *snúa* præs. *snȳ* pl. *snú*(*u*)*m,* p. *snera snøra* (=**sne-sôwe*) ; on. *snōa ;* cf. ags. *snōwan sneówan,* quod analogiam verborum purorum secutum est.

A stirpe *snōw* (aut *snū ?*) derivata esse videntur : ahd. *slūnic* [1] « prosper », ags. *snūd* « agilitas, celeritas », *snūd* « agilis, celer » *snȳdian* « festinare » ; wn. *snúðr,* on. *snōþ* « sinus, volutatio, commodum, lucrum », *snúðigr* « versabundus, celer ».

Cf. got. *snōrjō* f. « corbis », ahd. *snuor* « funiculus, vinculum », an. *snæri, snœri* n., cf. ags. *snōd* « mitra, vitta » ; quæ tamen vocabula utrum a radice *snōw* an a radice *snē, snō* derivata sint, dubium est.

Stirpem *sneu, snau,* præbet goticum verbum *sniwan* « ὑπάγειν, φθάνειν » ; cujus verbi præsens primitus formas **sneu-mi, *sneu-ti* cet., deinde, interposita vocali *e* aut *o* inter radicem et terminationes, ut in omnibus fere verbis validis in Germanorum lingua fit, formas **sneu-e-ti, *sneweþi, *sniwiþi* (got. *sniwiþ*) cet. præbuisse videtur. Goticum præteritum *snau,* ex ***(*se-*)*snowe* ortum est ; formæ p. pl. *snēwum* Ph. 3, 16 et p. p. *sniwans* eodem

1. In *slūnic* pro *snū-nīg,* consona *l* pro *n* per *dissimilationem,* quam dicunt, exorta esse videtur.

modo a verbo *sniwan* flexæ sunt quo a verbo *sitan* « sedere », formæ *sētum, sitans*. Contra, p. pl. *sniwum* (Mc. 6, 53) [**se-snuw-ume*], analogiam participii secutum, vocalem *i* pro *u* in stirpe exhibet.

A stirpe *sneu* informata sunt got. *sniumundō* « μετὰ σπουδῆς », *sniumundōs* « σπουδαιοτέρως », ahd. *sniumo* (*sliumo*), *sniomo* « velociter, cito, propere », *sniamōr* « citius, celerius », *sniumōn* « festinare », cf. as. *sliumo*, ags. *sneóme, snióme*. — Utrum verbum ags. *snōwan, sneówan* secundum conjugationem validam flexum et ex **snōw-ō, *snō(w)-jō,* ortum, an secundum debilem conjugationem flexum et ex **sneów-jō* ortum sit incertum est.

A stirpe *snau* flexum est an. *snǫggr snɔggr* « celer » (pro **snaggwa *snaggwia, *snawwa *snawwja*).

Radix *sneu, snau, snōw,* ex radice *snē* « torquere, nere », addito elemento u̯ orta esse videtur (1). Cf. Bremer, *Beitr.* XI, 4 sq., 277 sq.; Johansson, *Beitr.* XIV, 343.

4. Germ. **snōwanan :* an. **snúa, *snóa,* dial. *sno, snu, snió, sniú* (v. *Beitr.* XIV, 333) « scabere, radere »; — cf. an. *snǫggva snøggva* « calvus, rasus ». Johansson conjicit hæc verba ex radice indoeuropæa *sqhnā̆*$_1$ (cf. gr. κνάω « rado, scabo », imperf. κνῆ; κνητός; κνώδων « dens, gladium », κνώδαλον « bellua ») orta esse, quæ in germanicis dialectis aut formam *snē* (unde *snēu-, sneu-, snōw-*), aut formam *hnē* exhibet. v. *Beitr.* XIV, 332 sqq.

5. Quod si verbum **trōwanan,* quod in omnibus Germaniæ dialectis secundum conjugationem debilem flectitur, cum **bōwanan, *snōwanan* cet. comparamus, videmus verbum **trōwanan* eadem lege informatum esse qua verba quæ reduplicatum præteritum exhibent. Inde conjicere obvium est **trōwanan* primitus præteritum **te-trōwe* præbuisse, deinde analogiæ lege in similitudinem verborum debilium raptum esse.

Got. *trauan,* p. *trauaida* « πεπεῖσθαι, πεποιθέναι », adh. *trūēn,*

---

1. Docent, e contrario, multi grammatici (Fick, Schade) radici germanicæ *sneu* respondere indoeuropæam *sneu* « fluere »; cf. scr. *snu* (Whitney, *R.,* p. 195), gr. νάω, ναύω, νέω (ἔννεον).

trūwēn [*triuwen*], mhd. *trūen, trūwen* [*triuwen, trouwen*], as. *trūōn, gitrūōn, gitrūōian* (*trūan, trūwan*), ags. *trūwian, trȳwian* [*treówian*], v. Cosjin, *Ws. Gramm.*, § 133, wn. *trúa* (pr. *trúi, trý*), on. *trōa*, afr. [*trouwa*].

Vocabula ab eadem radice informata, modo stirpem *trōw-*, modo *treu-*, *trau-*, *tru-* exhibent.

treu: germ. **trewwo-* (**trewwi-?*), got. *triggws*, « πιστός », ahd. *triu, triuwi* « fidelis », as. *triuwi*, ags. *treówe, trȳwe*, afr. *triuwe, triwe.*

Germ. **trewwō* f., got. *triggwa* « διαθήκη », ahd. *triuwa* « fidelitas », as. *treuwa*, ags. *treów*, afr. *treuwe, trewe.*

trau: got. *trausti* n. « διαθήκη », ahd. *trōst* m. « solatium, consolatio, spes, auxilium », an. *traust* n.; cf. *traust*, adj. « fidelis », *treysta* « solari ».

trōw? trū?: ahd. *trūt* « dilectus, amicus, sodalis, servus », cf. an. *trúr* adj. « fidelis » (on. *trōr*).

tru: as. *gitrost* (aut *gitrōst??*) n. « comitatus », *gitrosteo* m. « comes », ahd. *trust* « agmen »; Graff, V, 479, m. lat. (altfränk.), *trustis, antrustio.*

Ags. *trum* « firmus, robustus », *trymjan* « confirmare », cet.

6. Exstat quidem in germanica lingua stirps *stōwa-*, unde substantiva got. *staua* f. « πρᾶγμα, κρῖμα, κρίσις », *staua* m. « κριτής »; ags. *stōw* f. « locus, spatium »; an. *eld-stó* « focus »; cf. abulg. *staviti* « ponere sistere », *pristavŭ* « magistratus », lit. *stóviu, stovė́ti* « stare ». v. Brugmann, *Grundriss*, I, § 179. Cf. Noreen, *Urgerm. Judl.* p. 20. Sed vix credendum est etiam verbum validum **stōwō*, p. **sestōwe*, unquam exstitisse. Gotica enim lingua verbum debile *stōjan* p. *stauida* « κρίνειν » (pro germ. **stōw-janan*, **stōw-i-dō*), diutisca lingua duo verba debilia præbet, videlicet **staujanan*, **stauwanan* « queri » (ahd. *stouuuan, stouuan*, p. *stouuida, stouuita, stouta*; cf. *stauunga, stounga* « quærimonias ») et **stō(w)-janan*, **stōwanan* « luere, pœnam dare » etiam « queri » (ahd. *stuouuan* p. *arstuota, irstuotun*); ex quo verbo (sicut ex verbo *mō(j)an* « fatigare », nonnunquam *mūis, mūit* cet.), formæ *ir-stuet, ar-stuit, zi stuuanne*, cf. *stuunga* « quærimonias »,

stua-tago « judicii dies » flexæ sunt. — Cf. Kögel, *Beitr.* IX, 513 sq.; Paul, *Beitr.* VIII, 214 sqq. — Germanica igitur lingua verba debilia **stōw-jō* aut **stau-jō* præteritum debile **stōw-i-dō*, **stau-i-dō*, non reduplicatum **se-stōw-e* usurpantia, habuisse videtur.

7. Germ. **flō(w)-janan* p. **flōw-i-dō* (?), **fe-flōwe* (?); an. *flóa* « fervefacere, fluctuare », ags. *flōwan*, p. *fleów*, *flōwde* « fluere, præpollere », cf. an. *flúð* (pro **flúeð*) f. « brevia, saxa latentia », *flóe* m. « palus, sinus », ags. *flōwe* « fluctus ».

Ab eadem stirpe ductum est substantivum germ. **flōw-dus* (indoeur. **plow-tús*), got. *flōdus* f. « ποταμός », ahd. *fluot* f. « fluctus, diluvium », as. ags. afr. *flōd* m. n., an. *flóð* n. *flæðr* f.

Ad eamdem originem quam stirps *flōw* referendæ sunt stirpes *fleu-t*, *flau-t*, *flu-t*, ubi dentalis consona *t* radici addita est: germ. **fleut-anan*: ahd. *fliozzan* « fluere, manare, labi, », as. *fliotan*, ags. *fleótan*, afr. *fliata*, an. *flióta*; cf. ags. *fleót* n. « navis », *flȳte* « flos lactis ».

flaut: ahd. *flōz* m. n. « fluxus », *flōdar* m. « fluor », *flouwen*, *flewen* « fluitare », cf. an. *flaumr* m. « vortex, fluctus ».

flut: ahd. *flozza* f. « pinnula, pennula », ags. *flot*, *flota* « navis, nauta », *flot* « fluidus, mobilis »; cf. ahd. *fluz* m. « fluvius, fluxus, fluctus », engl. *flyte* « pontonium », ahd. *flusc* m. « fluxus, luxus ».

Germanicæ radici *fleu* « natare, fluctibus vehi » respondet indoeuropæa *pleu̯*; scr. *pru*, *plu* (Whitney, *R.* p. 103), *plávate* « natare » cet.; gr. πλέϝειν, πλεῖν, πλώϝειν « navigare, natare », πλωτός « natans, navigabilis », πλόϝος « navigatio, iter maritimum », πλύνειν « lavare »; lat. *pluere*, *pluvia*, cet. v. L. Meyer, *Vergl. Gramm.*, p. 654.

8. Germ. **grō(w)-janan*, p. **gre-grōwe*, **gre-rōwe* (?), an. *gróa* (p. *græ*, *grœ*, p. *grera*, *grøra*, p. p. *groénn*) « crescere », ahd. *gruoen* « virere, virescere », ags. *grōwan* (p. *greów* *grēw*) « crescere, virere, florere »; — cf. an. *grúi* m. « turba, caterva », *grúa* « conglobari ».

Conjicere licet a radice *grōw*, *greu* (?) *grau* *gru* (?), addito

elemento *t* informatum esse adjectivum **grau-taz:* ahd. *grōz* « magnus », as. *grōt,* ags. *greát.*

Quam radicem germanicam *greu, grau, grōw,* fortasse, ex radice germ. *grō: grā* (v. Kluge, *Wb: gras, grün*) ortam esse existimandum est.

9. Videtur germanica lingua radicem *mē: mō* (Bremer, *Beitr.* XI, 273) non *mōw* (Noreen, *Urgerm. Judl.* p. 20) præbuisse. — Cf. ahd. *muoen* « agitare, fatigare, quassare, vexare, affligere », *holz-muoa* « lamia », — *muodi* « fessus, fatigatus, lassus », an. *móðr,* as. *mōði,* ags. *mēðe,* — ahd. *muot* « mens, animus, spiritus, cor », got. *mōds* « θυμός, ὀργή », ags. as. afr. *mōd;* cf. gr. μῶλος, μῶλυς, μάομαι, μᾶνις, lat. *mōles, mōlīri,* abg. *sŭmĕti* « audere ». v. L. Meyer, *Gramm.* p. 733, cf. 933. — Gotica igitur forma *afmauidai* « defessi » Gal. VI 1, quæ a germanica stirpe **mōw-ida-* flexa esse videtur, vix dubito quin analogiæ lege orta sit (cf. got. *stauiþs, afdauiþs, bauiþs,* cet.).

E. — *De verbis quintæ classis.*

De verbis quorum in germanica lingua præsentis stirps in vocalem *ē* sequente consona, aut in vocales *ē* aut *ō* desinit, et quæ a radicibus indoeuropæis vocalem *ē* præbentibus derivata sunt, tractavit fusius Bremer, *Beitr.* XI, 51 sqq., 262 sqq. Quare satis erit si verba ad hanc classem pertinentia nunc breviter enumeraverimus.

a) De verbis puris.

1. √ *bhē* — ahd. *bāen* « fovere » mengl. *bæwen.*
2. √ *dhēi* — ahd. *tāen* « lactare ».
3. √ *bhlē* — ahd. *blāen* « flare, spirare », ags. *blāwan,* afr. **blia.*
   — ahd. *bluoan* « florere », as. *blōian,* ags. *blōwan.*
   — ahd. *blāsan* « flare, halare, canere, clangere », an. *blása,* ags. *blǣsan.*
4. √ *bhrē* (*bhreu*) — mhd. *bræhen* « odorari ».
   — mhd. *brüejen* « fervere ».
   — ? ahd. *brātan* « fovere, assare », ags. *brǣdan,* afr. *brēda.*

5. √ *grē* — ahd. *krāen* « cantare, garrire », ags. *crāwan*.
6. √ *gnē* — ahd. *ir, bi-knāen* « cognoscere », ags. *cnāwan*.
7. √ *mē* — ahd. *māen* « metere, evellere », an. *má*, ags. *māwan*, afr. **mia*.
8. √ *mē* — adh. *muoen* « agere, agitare, fatigare, vexare, affligere » (cf. got. *afmauidai*).
9. √ *qlē* — ahd. *bluoen* « mugire, rudere », an. *hlóa*, ags. *blōwan*.
10. √ *rē* — mhd. *rüejen* « remigare », an. *róa*, ags. *rōwan*.
11. √ *rē* — ahd. *irruota* « rugiebam ».
12. √ *sē* — got. *saian* « σπείρειν », ahd. *sāen*, as. *sāian*, an. *sá*, ags. *sāwan*, afr. **sia*.
13. √ *skrē* — mhd. *schrǣjen* « emicare ».
14. √ *snē* — ahd. *nāen ?* « nere, sarcire ».
15. √ *spē* — ahd. *spuoen* « contingere, effici, succedere, bene procedere », ags. *spōwan*.
16. √ *sprē* (*spreu̯*) — mhd. *sprǣjen* « emicare, dispergere ».
— nhd. *sprühen* « effundi, emicare ».
17. √ *strē* (*streu̯*) — mhd. *strǣjen* « emicare ».
18. √ *trē* — ahd. *drāen* « torquere, tornare », ags. *ðrāwan*.
19. √ *trē* — ahd. *drāen* « odorare ».
20. √ *u̯ē* — got. *waian* « πνεῖν », ahd. *wāen*, ags. *wāwan*.

Incertum est utrum got. *faianda* « μέμφεται » Rom. 9, 19, e radice *fē-* an *fa-* ; utrum got. *lailōun* e radice *lā* an *lē* tractum sit. Ags. *flōwan* an. *flóa* a radice *pleu : plōw*, ahd. *gruoen* « virere, virescere » an. *gróa*, ags. *grōwan*, afr. **grōwa ?* a radice *ghreu̯ : ghrōu̯* ; ahd. *gluoen* « candere », an. *glóa*, ags. *glōwan*, afr. **glia* a radice *ghlā* ductum esse videtur. — De origine verbi an. *sóa* nihil certo compertum est.

b) De verbis quorum stirps in consonam desinit.

1. Germ. **blēsō* « flare », got. *blēsan*, ahd. *blāsan*, an. *blása*, ags. *blǣsan*, (v. √ *bhlē*).

2. Germ. **brēdō* « fovere », ahd. *brātan*, ags. *brǣdan*, afr. *brēda* (cf. √ *prē ?* aut *bhrē ?*).

3. Germ. **rēdō* « suadere, consulere, consiliari, conjicere », got. *rēdan*, ahd. *rātan*, as. *rādan*, an. *ráða*, ags. *rǣdan*, afr. *rēda*.

4. Germ. **lētō* « relinquere, permittere », got. *lētan*, ahd. *lāzzan*, an. *láta*, ags. *lǣtan*, afr. *lēta*.

5. Germ. **grētō* « flere », got. *grētan*, mhd. *grāzen*, an. *gráta*.

6. Germ. **drēdō* « timere, vereri », ahd. *intrātan*, as. *andrādan*, ags. *ondrǣdan*.

7. Germ. **slēpō* « dormire », got. *slēpan*, ahd. *slāffan*, as. *slāpa*, ags. *slāpian* (*slǣpan*), afr. *slēpa*.

8. Germ. **tēkō* (*takō*) « prehendere », got. *tēkan*, an. *taka*.

9. Germ. **bēgō* « certare », ahd. *bāgan*.

10. Germ. **wēlō* « recusare, condemnare », ahd. *farwāzan*.

CAPUT III

De radice verborum præteritum per iterationem primæ syllabæ informantium.

In primo capite demonstravimus quæ fuerint classes verborum reduplicatum præteritum exhibentium in singulis Germaniæ dialectis; dein in altero, collatis congeneratorum verborum formis, veteres formas germanicas restituimus. Nunc autem, congesta omni materia nostra, licet hujus operis præcipuam partem aggrediamur, inquiramusque quibus legibus, in decursu historiæ germanicarum dialectorum, et stirpes præsentis præteritique informatæ vel mutatæ sint, et reduplicata syllaba in præterito aut servata sit aut evanuerit.

A radice initium erit, et primo de consonantibus, deinde de vocali loquemur.

A. — *De consonantibus radicis.*

Consonantibus præsertim vocabula innituntur; nam in quaque radice apparent consonantes quæ, si non stabiles sunt, at communibus tantum germanici sermonis legibus immutantur. De talibus mutationibus, quæ omnium Germaniæ dialectorum sunt, non curabimus; has vero tantum respiciemus, in quibus radix

non integra servata est, sed adjecta derivativa syllaba quadam producta est.

Verba valida in germanica lingua, seu per iterationem primæ syllabæ, seu per apophoniam tantum præteritum flectant, et pro stirpe præsentis indicativi (ut de optativo taceam) radicem addito elemento *-o -e*, et pro stirpe præteriti radicem nudam ipsam usurpant. Exempli causa satis erit afferre verba germanica **berō* « fero » et **fanhō* « capio » quæ ad informandum præsens stirpes *bero-*, *fanho-* (3 pl. **bero-nti*, **fanho-nti* cet.) aut *bere- fanhe-* (2 s. **biri-ʒi*, 3 s. **biri-ði*, cet., ex **bhere-si*, **bhere-ti*, cet.), ad informandum præteritum radicem nudam *bar-*, *fanh-* (*fang-*) adhibent.

Non tamen semper licet præteriti stirpem radici adæques; nam, si verba germanica **spannō* « tendo » et **spanō* « allicio » quæ ad eamdem aut certe simillimam originem referuntur, inter se contuleris manifestum erit *spann* non legitimam sed falsam, quam dicunt, radicem esse; haud aliter comparatis **spannō* et **spanō* cum græco verbo σπάω « diffindere » aut germanicis formis **fanhō*, **fefangume* cum germanica **fōgjō* « adaptare » vel græcis πήγνυμι, ἐπάγη latinisve *pāx*, *pāciscor*, *pāctus*, radices primitus non *span(n)* aut *fanh*, *fang*, sed potius *spā̆* et *pāk* [*pāg*], aut mutatis consonis secundum regulam germanicæ substitutionis consonantium, *fāh* (*fāg*) [*fāk*] fuisse judicabis. Oportet igitur genuinas radices a falsis sejungamus, et quæ fuerit primitus verborum reduplicatum præteritum præbentium forma (quod ad consonantes attinet), inquiramus.

a) A verbis primæ classis ordiar; quæ plerumque falsas radices adhibent, ut jam de Saussure (*Syst. primit.*, p. 182) docuit.

1. Videmus enim verbum **halsō* (**halsō-jō?*) « amplecti » primitus non secundum validam sed debilem conjugationem flexum et a stirpe germ. *halsa-* indoeur. *kolso-* « collum » derivatum esse; ita **saltō* « sallo », **alþō* « senesco », **staldō* « possideo » non primaria, quæ dicuntur, verba, sed de substantivi *salta-* « sal » et adjectivorum *alþa-* « vetus » (indoeur. *al-to-*), *stalda-* « qui tenet, possidet » (indoeur. **stl̥-tó-*) stirpibus derivata esse videntur.

2. Ut in indoeuropæa, ita in germanica lingua præsentis stirps nonnunquam addita syllaba *-no -ne* informatur ; exempli gratia gotico præsenti *fraih-nan* « interrogare » respondet præteritum *frah* pl. *frēhum*. Eadem est præsentis informatio in verbis **wallō* « bullio » et **fallō* « cado » (pro **wal-nō* et **fal-nō*), in quibus geminatæ *ll* ex *l* + *n* ortæ sunt ; inde falsæ radices *wall, fall,* ex quibus præteritum non per apophoniam, ut mos est in verbis validis sextæ classis (cf. p. *ōl* a got. præs. *alan* « nutrire » ; p. *stōþ* a got. præs. *standan* « stare »), sed per iterationem primæ syllabæ, servata vocali *a* brevi in radice (**fe-falle, *we-walle*) derivatum est. Geminam igitur consonam *ll* non solum in præsentis sed etiam in præteriti stirpe præbent as. *fēll* H. 2208, pl. *fēllun ;* wn. *fell,* pl. *fello-(m)* ; on. *foll, fall, full,* pl. *fiollo, fullo ;* ags. *feoll, weoll,* afr. *fori-felle,* servata tamen nonnunquam simplice consona *l* in ahd. *fiel, wiel,* pl. *fielun, wielun ;* as. *fēl ;* aschw. *fæl, fal, foll,* ags. *feol, weol ;* in quibus tamen formis *l* plerumque ex *ll* in extremo vocabulo orta esse videtur.

In verbis **bannō* « bannio » et **spannō* « tendo » stirps præsentis e radicibus *bhā, spā,* addito elemento *neu̯o-, neu̯e-* derivata esse videtur (v. Osthoff, *M. U.* IV, 35 sqq. ; *Perf.*, p. 353 sq., 518). Ex formis prægerm. **bha-néu̯ō, spa-néu̯ō* ortæ sunt germ. **banwō, *spanwō, *bannō, *spannō,* unde falsæ radices *ban(n)* et *span(n)* factæ, ex quibus præterita aut geminam consonam *nn* aut simplicem *n* præbentia declinata sunt.

Præsentis stirps *fanho-* « capere » ex prægerm. *pak-no-, pankno-, panko-,* orta (v. Osthoff, *Perf.* p. 548 ; Henry, *Gramm. comp.*, § 93, 4), jam illo tempore ad informandum præteritum usurpata est quo Germanorum vox non semper primam cujusque vocabuli syllabam sed nonnunquam etiam terminationem acuebat. Nam, ut supra vidimus (p. 4), prima substitutione illa consonantium, ex tenuibus consonantibus aut spirantes (cf. germ. **fanhō,* got. *fai-fāh*) aut mediæ (cf. germ. **fe-fangúm(e)* factæ sunt, prout radix acuta aut accentus expers erat. Itaque judicandum est stirpem præteriti nasalem *n* ad exemplar præsentis jam ante tempus adeptam esse, quo spirantes secundum regulam

Vernerianam ortæ in medias commutatæ sunt. — Verborum **hanhō* « pendeo » et **prangō* « opprimo » informatio eadem fuisse videtur quæ verbi **fanhō*.

3. Notandum est denique nonnulla verba, aut in indoeuropæa aut in germanica lingua, addito elemento *t, d, dh* (?) inter radicem et terminationes, informata esse. Exempli causa affero :

Radicem indoeur. *sqal, sqel* (lit. *kalù*) cum radice *sqalt, sqelt* (lat. *culter*, germ. **skaldō* « navem ducere, propellere ») comparatam ;

Rad. indoeur. *u̯al* (lat. *valeo*) cum germanico verbo **wal-d-ō* « regno » ;

Rad. indoeur. *qel* (gr. βουκόλος) cum germ. verbo **hal-d-ō* « pasco teneo » ;

Rad. indoeur. *u̯al, u̯el* (gr. ἴλλω « volvere ») cum germ. verbo **wal-t-ō* « volvi » ;

Rad. indoeur. *spal, spel* (gr. σπίλος « rupes ») cum germ. verbo **spal-d-ō* « findere ».

Incertum est an eadem lege informata sint germanica verba **fal-þ-ō* « plico », **blandō* « misceo », **wal-k-ō* « tero ».

b) Transeamus ad verba secundæ, tertiæ et quartæ classis ; quæ plerumque a legitimis, nonnunquam indoeuropæis, radicibus orta sunt. Notare tamen possis verbum **blō-tō* « immolo » cum substantivo *blō-þa-* « sanguis » cognatum, a radice germanica *blō*, addito elemento *t*, derivatum esse videri, quam forte cum radice *blē* (indoeur. *bhlē*) ex qua germanica verba **blē-sō* « flo », **blē-jō* « flo » informata sunt, æquare licebit.

c) Hæc denique verba quintæ classis respicienda sunt nobis, in quibus præsentis stirps vocalem *ē* promissam, sequente consonante, exhibet. Nonnulla enim ex radicibus per *ē* desinentibus, addita dentali consonante, nata esse videntur. Exempli causa affero verba :

**Blēsō* « flo » cum radice *blē-* comparatum, ex qua germ. **blējō* « flo », **blōjō* « floreo », **blōtō* (?) « immolo ».

**Wētō* « exsufflare, condemnare », cum radice *u̯ē* comparatum, ex qua germ. **wējō* « flo ».

**Brēdō* « torrere », cf. gr. πρήθειν « comburere », cum radice *prē* [1] comparatum, ex qua gr. πίμπρημι « inflo, incendo ».

? **Rēdō* « jubeo, [redacted] suadeo » cum radice *rē* comparatum, unde germ. **rōjō* « remigo ».

B. — *De vocali radicis.*

Dum omnes radices aut unam consonam exhibent aut plures quæ in omnibus vocabulis ab eadem stirpe derivatis integræ manent, vocales variæ in variis formis ejusdem verbi aut casibus ejusdem substantivi alternis vicibus arcessitæ apparent. Videtur enim accentus cum radicis, tum terminationis vocali colorem cuique suum, ut ita dicam, dedisse. Nam in quaque syllaba, prout acuebatur aut accentus expers erat, vocalis modo graviorem, quem vocant, gradum (*hochstufe*), modo leviorem (*tiefstufe*) obtinebat.

Postquam autem Germani primam semper syllabam stirpis in omnibus vocabulis acuere consueverunt, vicissitudo illa gravioris et levioris stirpis non jam discrimen inter syllabas acutas et accentus expertes intulit; sed usus varias vocales variis temporibus numerisque verborum tribuit, ita ut apophonia vocalis radicis modo præsens a præterito et participio præteriti, modo singularis numerus præteriti a plurativo segregatum fuerit. Ita in germanica lingua, quasi series quædam exstiterunt vocalium, quæ, alternis vicibus arcessitæ, ad informandam stirpem et verborum et vocabulorum a verborum radicibus derivatorum usurpatæ sunt. Liceat nobis, exempli gratia, breviter exponere quæ vocales variis formis ad verbum pertinentibus tribuantur in serie quæ majorem partem verborum validorum, quæ dicuntur, complectitur, in hac scilicet quæ pro gradu graviore I vocalem *e* exhibet.

---

1. Verbum **brē-d-ō* docet Noreen ex reduplicato præsente indoeur. **pi-prēmi*, germ. **fi-frēn*, **fi-brēn* (unde, analogiæ lege, **bi-brēn*, **brēn*) addito elemento *d* ortum esse (*Urgerm. Judl.*, p. 142).

1. Præsentis stirps, quia in indoeuropæa lingua plerumque acuta est, gradum graviorem primum vocalis cum in indoeuropæa, tum in germanica lingua plerumque præbet. Cf. **berō* « fero » (indoeur. **bherō*), **bendō* « vincio » (indoeur. **bhendhō*), **steigō* « eo, ascendo » (indoeur. **steighō*), **beudō* « offero » (indoeur. *bheudhō*). Notandum est tamen non modo in indoeuropæa, sed etiam in germanica lingua præsentia nonnunquam ab aoristis accentum mutuata esse, unde vocali non jam gradus gravior I, sed aut levior I (cf. germ. **lūkō* a radice *leuk* « pando »), aut levior II (cf. germ. **trudō* « conculco » a radice *tred*) adjectus fuit (de gradu leviore I et II, vide infra).

2. Præteriti non eadem primitus est vocalis quæ præsentis; cum enim hoc vocalem *e*, id est gradum graviorem I exhibeat (Osthoff : *mittelstufe ;* Brugmann : *hochstufe* I ; Henry : *degré normal*), usurpat illud vocalem *o* (germ. *a*), id est gradum graviorem II (Osthoff : *hochstufe ;* Brugmann : *hochstufe* II ; Henry : *degré fléchi*). Exempli causa affero præterita **waite*, got. *wait* (indoeur. **u̯oi̯de*, gr. Ϝοῖδε), **bare*, got. *bar* (indoeur.* *bhe-bhore*), **staige*, got. *staig* (indoeur. **se-stoi̯ghe*), **baude*, got. *bauþ* (indoeur. **bhe-bhou̯dhe*) cet. Ceterum quæ fuerit primitus causa distinctionis inter gradum graviorem I et II non satis aperte perspicitur.

3. In syllabis accentus expertibus vocalis radicis omnino cecidit cum ex consonantibus i̯, u̯, *r, l, m, n*, vocali radicis subactis ante sequentem consonam sonantes indoeur. *i, u*, r̥, l̥, m̥, n̥, factæ sunt. Quem gradum leviorem II (Osthoff : *unbetonte tiefstufe ;* Henry : *degré réduit*) obtinet et in indoeuropæa (sed non in germanica) lingua nonnunquam pluralis numerus indicativi præsentis (cf. tertiam pers. s. ind. pr. **éi̯ti*, scr. *éti*, gr. εἶσι, cum prima pl. scr. *i-mds*, gr. ἴ-μεν), et sæpissime ut in indoeuropæa, ita præsertim in germanica lingua, pluralis numerus præteriti et participium præteriti. In præterito igitur vices alternant gradus gravior II in singulari germ. *wait-, band-, staig-, baud-* cet. (indoeur. *u̯oid-, bhondh-, stoi̯gh-, bhou̯dh-* cet.), et gradus levior II in plurali numero, germ. *wit-, bund-, stig-, bud-* cet. (indoeur. *u̯id, bhn̥dh, stigh-, bhudh-*).

4. Evenit etiam ut vocalis radicis non omnino evanescat sed minuatur tantum, ita ut cum sequentibus consonantibus indoeur. i̯, u̯, *m*, *n*, *r*, *l* coalescat; inde sonantes indoeur. *ī*, *ū*, m̥̄, n̥̄, r̥̄, l̥̄ ante consonantem, et *ii̯*, *uu̯*, m̥*m*, n̥*n*, r̥*r*, l̥*l* ante vocalem ortæ sunt. Quem gradum leviorem I (Osthoff : *nebentonige Tiefstufe*) in germanicis dialectis interdum præsentis stirps (cf. germ. **bi-lībō* « maneo », **lūkō* « pando », cum radicibus prægerm. *lei̯p* et *leu̯g*), nonnunquam etiam præteriti pluralis aut participii stirps exhibet (cf. p. p. germ. **buranas*, **numanas*, ex prægerm. **bhr̥r-onos*, **nm̥m-onos* « prehensus », cum radicibus *ber*, *nem*). Sequente labiali aut dentali aut gutturali consona, vocalis *e* radicis etiamsi accentus expers erit, in germanicis linguis integra manebit. (Cf. p. p. **gebanás* cum præs. **gébō* « do »).

I

Verba de quibus superius disseruimus vocalem *e* pro gradu graviore I vocalis radicis usurpant. Ab his verbis plane differunt ea quorum gradus gravior I vocali *a* constat, videlicet : verba reduplicatum præteritum adhibentia quæ in stirpe vocalem *a* mediam sequente biconsona (*l* + *x*, *n* + *x*, i̯ + *x*, u̯ + *x*) præbent, et verba valida sextæ classis quæ per apophoniam præteritum informant et quorum radix aut in *l*, *n*, *r* (velut in **alō* « nutrio », aut **anō* « spiro »), aut in aliam consonam (velut in **akō* « ago », aut **sakō* « dimico ») desinit.

	Classes.				
	VI *a*.	VI *b*.	I.	II.	III.
a. Gradus gravior I . . .	*a*	*al*	*alx*	*aix*	*aux*
b. — II . . .	*ō*	*ōl*	*alx*	*aix*	*aux*
c. Gradus levior I . . .	*a*	*ul*	*alx*	*ix*	*ūx*
d. — II . . .	-	*l*	*ulx*	*ix*	*ux*

a) Gradum graviorem I germ. *a* (prægerm. *a*) cum præsentis stirps verborum **sakō*, **alō*, **falþō* « plico », **haitō* « voco », **stautō* « tundo », tum permulta vocabula e præsentis stirpe infor-

mata præbent; quam rem exemplis confirmare fortasse non utile erit.

b) Vocali *ō* promissæ (prægerm. *ā*) quæ in præteriti stirpe verborum validorum sextæ classis apparet (**ōle, *sōke*) respondet in stirpe reduplicatorum præteritorum vocalis *a* brevis (prægerm. *ă*) [**fe-falþe, *he-haite, *se-staute*]. Itaque judicandum est vocalem promissam prægerm. *ā*, subjectis duabus consonis, in *ă* correptam fuisse. Vir doctus Brugmann nos docuit haud aliter vocalem indoeuropæam *o* in sanscritica lingua ante duas consonas positam in *ă* (velut in *va-várta* « vertit », *ta-stámbha* « fulsit »), ante consonam simplicem in *ā* (velut in *dā-dhâra* « firmavit », *ja-jâna* « genuit », commutatam fuisse. v. Osthoff, *M. U.* I, 238, Anm.; Paul, *Beitr.* VI, 123; Brugmann, *Grundriss,* I, § 78.

c) Ut in participio præteriti germ. **gebanas* « datus » (got. *gibans*) vocalis *e*, ita in participio germ. **sakanas* vocalis *a* non gradum graviorem I sed leviorem I obtinuisse videtur. Eumdem vocalis gradum participium **faldanas* fortasse præbet, in quo syllaba *al* e prægerm. l̥ (**pl̥tnós*) orta esse videtur (v. Brugmann, *Grundriss,* I, § 306; Kluge, *Grundriss d. d. Phil.,* I, p. 350); dum verba **alō, *haitō, *stautō,* analogiæ lege, eamdem vocalem *a* in participio præteriti **alanas, *haitanas, *stautanas,* et in præsente exhibent.

Gradus levior I vocalis in stirpe *wl̥, wr̥* (germ. **wal-miz,* scr. *ūr-mi* « fluctus ») et in adjectivo verbali **stl̥-tós* (germ. **ga-staldas* « qui tenet, possidet ») occurrit. Nam in germanico **ga-staldas* media *d* in loco indoeuropææ tenuis *t* apparet : unde patet terminationem primitus acutam fuisse, et stirpem, accentus expertem, non gradum graviorem sed potius leviorem vocalis præbuisse. Haud aliter in verbis **haldō* « teneo », **waldō* « regno », **skaldō* « navem duco », **spaldō* « diffindo », mediam *d* aut e prægerm. *dh* (**káldhō, *wáldhō,* cet.) aut, accentu e stirpe in terminationem cadente, e prægerm. *t* (**kl̥tó, *wl̥tó,* cet.) ortam esse judicare possis. In his igitur verbis præsentis stirps aut gradum graviorem I aut gradum leviorem I vocalis accepit. Notandum est denique verbum germ. **wallō* pro **wal-nō* « bullio », cum

præsentia per syllabam *no- ne-* informata accentum plerumque in hac ipsa syllaba primitus accipiant, non e prægerm. **wál-nō* sed potius ex **wl̥-nó* natum esse.

In vocabulis a verbis secundæ et tertiæ classis derivatis radix nonnunquam gradum leviorem I exhibet, scilicet vocales *ī* aut *ū* promissas. (v. Osthoff, *M. U.* IV, p. 323 sqq.) Exempli causa affero :

A radice *sqhait, sqhaid :* germ. **skīdó* (?) aut **skíþijō* « diffindere » cet., germ. **skītó* « cacare », cf. abulg. *čistŭ* « purus, sanctus », lit. *skýstas* « tenuis, purus, clarus ».

A rädice *su̯aig :* got. *midja-sweipains* « κατακλυσμός » ; incertum est utrum verbum an. *svífa* « moveri », ags. ahd. *swīfan* e prægerm. **su̯eípō* an ex **su̯ífijō* ortum sit.

A radice *aug :* lit. *ūgis* « incrementum », *ūglis* « gemmula » (?). (v. Osthoff, *M. U.* IV, 337.)

A radice germ. *baut :* an. *bútr* « lignum », mhd. *būz* « ictus », ags. *býtl* « malleus » cet.

A radice *(s)tau̯d :* gr. Τυδεύς, lat. *tūsus, tu-tūdimus* (?), got. *þūt-haurn* (?) « σάλπιγξ ».

A radice *skrau̯t :* lat. *scrūtari* cet. ags. *scrūd* « vestis » cet., an. *skrúð* « ornamentum » cet.

d) Solent verba valida in plurali numero præteriti et participio præteriti terminationem acuere et in stirpe gradum leviorem II vocalis accipere. Quod uno et altero exemplo satis erit approbare ex prima et secunda classe horum verborum deprompto quæ per apophoniam præteritum informant. A radicibus **steịgh, *bheu̯dh* derivata sunt præterita et participia germ. **stigume* « ascendimus » **stiganas ; *budume* « obtulimus » **budanas.* Apud verba quæ reduplicatum præteritum exhibent, participium, ut supra vidimus, analogiam præsentis sequitur, et plurativus numerus præteriti per eamdem vocalem per quam singularis informatur (¹). Cf. **sōke,* « dimicavit » pl. **sōkume, *ōle* « nutrivit » pl.

---

1. Conferendum videtur gr. λέλοιπα, λελοίπαμεν, cet.

**ōlume*, **fefalþe* « plicavit », pl. **fefaldume*, **hehaite* « vocavit » pl. **hehaitume*, **sestaute* « tutudit », **sestautume* cet. Supersunt tamen paucæ verborum formæ in quibus gradus levior II vocalis servatus est [1].

P. pl. **(he)-hlupume* « cucurrimus » : wn. *(h)lupo(m)*, on. *lupu(m)*, ags. *hlupon*, m. engl. *lupen*, mhd. *luffen ;* cf. opt. wn. *hlypa hlǫpa ;* p. p. mhd. *geloffen*.

P. pl. **he-hŭwume* « cudimus » : wn. *hiuggo(m) hioggu(m)*, on. *huggo(m)*, ex quo ortum est, falsæ analogiæ lege, sing. *hugg*.

Formas an. p. pl. *iukum* « auximus », *iusum* « hausimus », opt. *jyki*, docet Osthoff a præteriti stirpe leviore *é-uk-*, formas opt. *yka, yki, øka* ab aoristi stirpe *uk* declinatas esse. — v. *M. U.* IV, 337.

P. pl. **he-huldume* « tenuimus » **fe-fullume* « cecidimus » : on. *huldo fullo* (unde analogiæ lege et in singulari numero *huld, full*); vocalem *u* per fractionem in *o* immutatam præbent perfecti aut forte aoristi formæ aschw. *fol(l)*, pl. *holdo*, wn. *oldo* « regnavimus ».

Etiam in vocabulis a radice verborum primæ, secundæ aut tertiæ classis derivatis sæpe stirps gradum leviorem II, scilicet vocalem *i* aut *u* brevem, accipit.

Ab indoeur. stirpe *pl̥t* derivatum est gr. δι-πλάσιος « duplex ».

A prægerm. stirpe *kl̥-tó-:* germ. **hulþas*, **huldas* « fidelis, pronus ».

A prægerm. stirpe *sl̥d :* ahd. *sulza* « salsugo », as. *sultia, sulta*.

A germ. stirpibus *wulk, blund, spunn ;* ahd. **wulkjan* « fulcire », *wolchan* « nubes », an. *blunda* « nictari ».

Ab indoeur. stirpe *sqhid, sqhit :* scr. *chid* « scindere », lat. *scindere*, gr. σχίζω, lit. *skédziu* « tenuo » cet., ahd. *scidōn* « dividere », as. *farscitōn*, ahd. *scindan* « excoriare » cet.

A germ. stirpe *swip :* an. *svipr* « ictus » cet., ags. *swift* « rapidus », *swip* « flagellum » cet., md. *swif* « motus citatus », ahd. *swipfen* cet.

---

1. Conferendum videtur gr. Ϝοῖδα Ϝίδμεν, μέμονα μέμαμεν, εἰλήλουθα ἐληλύθαμεν, cet. Henry, *Gr. comp.*, nº 292.

A germ. stirpe *swif, swib,* mutata *i* in *e* per fractionem : ahd. *swebōn* « ferri », *sweb* « aer, vanum ».

Ab indoeur. stirpe *ug :* scr. *ugrá* « potens », av. *ughra.*

A germ. stirpe *skrud :* ahd. *scrutōn* « scrutari », *scrodunga, scrod* cet. ; cf. ags. *scrudnian.*

e) Cum serie vocalium cujus gradus gravior I vocali *ă* constat haud confunditur in Indoeuropæorum communi sermone series in qua gradus gravior I vocalem *ā* promissam, gravior II vocalem *ō,* gradus levior I *ə* (« schwa »), levior II vocalem nullam præbet. In germanica autem lingua, cum ex indoeur. *ā* et *ō* pariter *ō* promissa et ex *ə, a* brevis orta sit, distinctio inter hanc et illam seriem omnino evanuit (v. Brugmann, *Grundriss,* I, § 316). Multa igitur verba quorum radix vocalem *ā* primitus exhibet in similitudinem verborum, quorum stirps gravior I vocalem *ă* brevem præbet, rapta sunt : ut **álō* « nutrio » flectuntur verba **akṓ* « ago » **sakṓ,* « dimico » a radicibus *āg, sāg* derivata (v. Osthoff, *Perf.* 115 sqq., 161) ; ut **falþō* « plico », verba **bannō* « bannio », **spannō* « tendo », **fallō* « cado » (prægerm. **bha-néu̯ō, *spanéu̯ō, *(s)phal-nṓ*) quæ a radicibus *bhā, spā, sphāl,* declinata esse videntur.

f) Quod si cum serie cujus gradus gravior I vocali *ă* constat germanicam seriem comparas cujus gradus gravior I vocali *ĕ* constat, id est si cum stirpibus *far, fōr, fur* « vehi », aut *halþ, huld* « tenere » stirpes *ber, bar, bur* « ferre » ; — si cum *skaid, skīd, skid* « scindere », stirpes *leib (leif), laib, līb, lib* « manere, vivere » ; — si cum *staut, stūt, stŭt* « tundere » stirpes *beug, baug, būg, bŭg* « flectere », tum manifestum erit cum in utraque serie gradus leviores (*fur, huld, skid, stut,* cf. *bur, lib, bug* et *skīd, stūt,* cf. *līb, būg*), easdem vocales exhibere, tum gradum graviorem I (*far, halþ, skaid, staut*) prioris seriei cum gradu graviore II alterius (*bar, laib, baug*) congruere.

Cum res ita se habeant, non miraberis si verbum a serie *A* ad seriem *E* vel a serie *E* ad seriem *A* transierit, aut si ex verbis quæ ad eamdem aut certe simillimam originem referenda sunt, stirpem graviorem hoc cum vocali *e,* illud cum vocali *a* infor-

matam præbuerit. Exempla affero deprompta e prima, secunda et tertia classe.

Ab indoeur. radice *ghengh* ductum est verbum germ. **gangō* « eo », servata vocali *e* in ags. *gengan.*

Ab indoeur. radice *u̯el;* germ. **waltō* « volvor » et *wallō* « bullio », servata *e* in an. *velta,* ahd. *wēlla* « fluctus ».

Ab indoeur. radice *sqal, sqel:* germ. **skaldō* et **skeldō* « navem duco ».

Contra in nonnullis vocabulis vocalis *a* genuina esse videtur.

Ab indoeur. radice *spā:* germ. **spannō* « tendo » et **spinno* « necto ».

Ab indoeur. radice *skrau̯t:* germ. **skraudō* « tundo, seco » et an. *skrjóðr* « liber lacer ».

Ab indoeur. radice *staud:* germ. **stautō* « tundo », et **þeutō* « strepo ».

A germ. radice *baut:* germ. *bautō* « verbero », cf. mhd. *biuzen* (?).

Quibus addenda sunt nonnulla verba quæ duplicem formam præsentis exhibent quarum formarum una vocalem*e,* altera vocalem *a* usurpat, videlicet germ. **stangō* et **stingō* « pungo », **brautō,* cf. *breutō* « frangere », **haufō,* cf. **heufō* « nænias canere », **hnaupō,* cf. **hneupō* « divellere ». — De quibus vide infra, p. 83, 89.

II

Verba in quibus præsentis stirps vocalem *ō* exhibet, eamdem vocalem *ō* etiam in præterito usurpavisse videntur, quod allatis formis got. *hwaihwōp* « minatus est », pl. *faiflōkun* « ἐκόπτοντο », an. *bió* (pro **be-bōwe*) « habitavit », *snera* « vertit », *rera* « remigavit » *gnera,* « rasit », *grera* « crevit » (pro **snesówe,* cet.) approbatur. Successeritne in plurali numero *ū* aut *ŭ* in locum vocalis *ō* e raris germanicis formis non satis patet. Hujus descriptionis enim verba aut verborum debilium aut secundæ classis (wn. *blét* « immolavit », cf. *hét* « vocavit ») aut tertiæ primæve analogiam

plerumque secuta esse mox videbimus. Licet tamen conjicias formas ahd. *weofun* « fleverunt » ags. *weópon,* ags. *hweópon* « minati sunt », *sweógon* « prævaluerunt », *hweóson* « tussiverunt » ex germ. **wé-wūpume, *hwé-wupume, *swé-wugume, *hwé-wusume,* mutata u̯ consona in *u* vocalem ortas esse.

Ceterum, si verborum quartæ classis pristinam originem respexeris, non omnia eadem lege informata esse mox videbis, ita ut confidenter dicere possis hanc classem nondum in indoeuropæa lingua exstitisse, sed apud Germanos tantum in lucem prodiisse.

a) Verba quæ pro gradu graviore I radicis vocalem *ā* in indoeuropæa lingua exhibent, cum sæpe, ut supra demonstravimus, in similitudinem verborum per *ă* brevem præsentis stirpem informantium rapta fuerint, nonnunquam tamen vocalem *ā* in germanicam *ō* immutatam ad informandam præsentis stirpem usurpant.

1. A radicibus *plāg, krāg, kās* derivata sunt verba germ. **flōkō* « maledico », **hrōpjō* « voco », **hwōsjō* « tussio ». Quibus adde:

2. Verbum **glō-jō* « candeo », ahd. *gluo(j)an,* as. *glōwan;* an. *gloá* [cf. ahd. *gluot* « pruna, ignis », ags. *glēd(e); glōma, glōmung* « crepusculum, diluculum » ; cf. an. *glámr* « luna » (?)] e radice *ghlā* informatum, cf. lit *żleja* « crepusculum ».

3. Verbum got. **lōjan?* p. *lailōun* « ἐλοιδόρησαν » [cf. as. *lahan* p. *lōg,* H. 954, ahd. *lahan* p. *luag* (Otfr. 2, 6, 3), ags. *leahan leán,* p. *lōg.* « vituperare », cf. germ. **lah-stra-,* ahd. *lastar* « vituperatio, reprehensio », ags. *leahtor;* germ. **lah-stu-,* an. *lǫstr* « vitium »] a radice *lā, lā-k* informatum, unde lat. *lāmentum, lătrāre,* lit. *lóju, lóti,* abg. *laja, lajati* « latrare », gr. λᾱκέω λέλᾱκα.

4. Verbum *grō(w)jō* a radice *grōw, greu* « crescere » derivatum est; quæ tamen cum radice germ. *grō,* indoeur. *ghrā,* cognata esse videtur.

b) Verba pura a radicibus in *ē* desinentibus informata esse monstravit Bremer, *Beitr.* XI, 271 sqq.; quæ verba ad informandam pariter præsentis præteritique stirpem vocalem *ō* (id est gradum graviorem II radicis) usurpant.

A radice *bhlē* « turgere, florere » derivata sunt germ. **blōjō,*

ahd. *bluoen,* as. *blōian,* ags. *blōwan* fortasse etiam **blō-tō* « immolo », et **blōþam* « sanguis ».

A radice *bhrē* « tepere » : mhd. *brüejen.*

A radice *qlē* « rugire » : ahd. *hluoen,* an. *hlóa,* ags. *hlōwan.*

A radice *mē* « moveri, irasci » : ahd. *muoen,* got. *af-mauidai.*

A radice *rē* « tundere, remigare » : mhd. *rüejen,* an. *róa,* ags. *rōwan.*

A radice *spē* « augeri, progredi » : ahd. *spuoen,* ags. *spōwan.*

A radice *sprē* « emicare, effundi » : nhd. *sprühen.*

His adde radicem *su̯ēgh* « strepere », unde germ. **swōgjō.*

c) Quod si ad verba transimus quorum stirps in *ōw* desinit, videmus vocabula cum his verbis congenerata a stirpibus per *ōw, eu, au, u,* desinentibus derivata esse. Exempli causa affero verbum **bōwō* « habito, colo », quod ad eamdem radicem referendum est ad quam stirpes germ. *beu* « esse », *bau* (ahd. *bauuan* « terere ») et *bu* (an. *byggja* « colere »). Jam notavimus Scandinavorum linguam et dialectos Germaniæ occidentalis, cum vocalem *ū* germanicam integram servare, tum diphthongum *ōw* in *ū* aut *ō* immutare ; ita ut semper dubium maneat utrum vocalis *ū* in verbis hujus classis pro gradu leviore I (velut in **lūkō* « pando » a radice *leuk*) habenda sit, an ex *ōw* orta sit. Quod si quærimus quæ sit natura elementi istius *ōw* et unde ortum sit, vix dubitamus quin diphthongus *ōw* ad seriem diphthongorum et vocalium *au, eu, ū, ŭ,* accommodanda et pro gradu graviore III hujus seriei habenda sit. Radix *ped* « pes » (lat. gen. *pedis,* scr. *padás*) quæ gradum graviorem II *pod* præbet (gr. acc. πόδα, scr. *pā-dam*) etiam gradum illum graviorem III *pōd* exhibet (dor. nom. πώς, got. *fōtus*). Eadem vocalis *ō* occurrit in græcis formis φωλεός « latibulum », φωλάς, φωλεύω cet. (a stirpe *bhōu̯-l* derivatis), aut πλώϝω « navigo », πλωτήρ « vector », πλωτός « natans » cet. (a stirpe *plōu̯* derivatis) ; quæ vocabula sine dubio cum radicibus *bheu̯* « esse » et *pleu̯* « nare » cognata sunt.

III

Verba quæ vocalem *ē* in præsente exhibent in lingua indoeuropæa ad informandam præsentis præteritique stirpem vocales *ē, ō, ə* aut *ē, ō, ā, ă*, alternis vicibus arcessitas usurpant ([1]). In germanica autem lingua distinctio inter utramque seriem omnino evanuit, cum *ə* in *a*, *ā* in *ō* mutata sit, adeo ut series unica vocalium exstiterit : *ē, ō, a*.

1. Vocalem *ē* exhibent cum stirps præsentis cujus analogiam etiam stirps participii præteriti secuta est (got. *lētan* « permittere », p. p. *lētans*), tum etiam permulta vocabula a stirpe graviore I derivata (ahd. *sāt* « semen », got. *slēps* « somnus » cet.).

2. Vocalem *ō* usurpat stirps singularis et pluralis numeri in præterito omnium verborum (got. *lai-lōt*, pl. *lai-lōtum* cet.) ad hanc classem pertinentium, excepto *slēpan* « dormire », quod præteritum *sai-slēp* aut *sai-ʒlēp* præbet ; multa vocabula etiam a præteriti stirpe derivata sunt : got. *blōma* « flos », ahd. *muot* « animus », *ruodar* « remus », cet.

3. Vocalis *ă*, id est gradus levior, cujus ad vicem in formis ad verbum pertinentibus aut vocalis *ē* aut vocalis *ō* semper successit, in nonnullis vocabulis ab iisdem radicibus derivatis, servata apparet :

A radice *ghē* : got. *gatwō* « πλατεῖα », an. *gata*, ahd. *gaʒʒa*.

√ *bhē*, an. *bað* « balneum », ags. *baeð*, afr. *beth*, as. *bað*.
√ *mē*, ags. *meadu* « pratum », afr. *mede*, ahd. *matha mada mata*.
√ *u̯ē*, ahd. *wadal*, *wedil* « flabellum, flabrum, fasciculus ».
√ *snē*, an. *snara* « laqueus », ags. *snear*.
√ *bhlē*, ahd. *blat* « folium », an. *blað*, ags. *blæd*, afr. *bled*, as. *blad*.
√ *bhlēs*, ahd. *anablast* « spiramen, impetus ».
√ *prē* ? *bhrē* ? ahd. *bradam* « odor, spiritus ».
√ *grē*, ahd. *kradam* « fragor, strepitus ».

---

1. De his verbis fusius dixit Bremer, *Beitr.* XI, p. 51 sqq., 262 sqq. ; enumerantur, p. 270, scripta quæ ad hanc quæstionem pertinent ; his adde Noreen, *Urgerm. Judl.*, §§ 9 II, 12, 13.

√ *lēd*, got. *lats* « ὀκνηρός, ἀργός », an. *latr*, ags. *læt*, afr. *let*, as. *lat*, ahd. *laz*, cf. got. *latjan* « χρονίζειν », an. *letja*, ags. *lætan*, *lettan*, an. *lǫskr* « vanus mollis ».

√ *dēg*, an. *taka* « prehendere ».

√ *slēb*, ahd. *slaf(f)* « remissus, torpens ».

√ *dhēi̯*, got. *daddjan* « θηλάζειν ».

4. Docet Noreen (*Urgerm. Judl.*, § 12) etiam vocalem *ĕ* in vicem vocalium *ē*, *ō* et *a* succedere posse. Quæ autem sententia exemplis e germanica lingua depromptis quibus rem tutatur, non comprobata esse videtur.

A radice *u̯ē* derivata sunt lat. *ventus*, got. *winds* « ἄνεμος », ahd. *wint* = germ. **wĕndás*. Sed, ut indoeur. *ā* in *ă* correpta est, subacta biconsona *lx*, *nx*, ita ex indoeur. *vēnto-* (= lat. *vēntus*), breviata vocali *ē* ante biconsonam, ortum est germ. *wĕnda-*, *winda-*. — v. Brugmann, *Grundriss*, I, § 614; Osthoff, *Perf.*, 84; Kluge, *Grundriss d. d. Phil.*, I, p. 351.

Omnino dubium est an e radice *u̯ē* « credere » substantivum ahd. as. *wini* « amicus », an. *vinr*, ortum sit.

A radice *fēg* ducta sunt mhd. *vegen* « mundare », *vegeviur* « purgatorium »; in quibus tamen vocabulis nihil impedit quominus vocalis *ĕ* per periphoniam ex *ă* orta sit, cum verbum *vegen* aut ex ahd. **fagjan feggen* aut ex *fagjōn* (sicut mhd. *hern reden* ex *herjōn rediōn*) natum sit.

In nonnullis quidem radicibus diphthongus *eu* in locum vocalis *ē* succedere potest; germanica autem diphthongus *eu* etiam ex *ē*+*u* orta esse videtur. (v. Bremer, *Beitr.* XI, 40 sq.) Ita e radice germ. *brē* facta est, addito elemento *u*, stirps *breu*, unde ahd. *briuwan* « brassare » (fr. brasser), an. *brugga*, aschw. *bryggia*; e radice *sprē*+*u*, stirps *spreu*, unde ahd. *spriu* « palea, acus, siliqua »; e radice *strē*+*u*, stirps *streu*, *strau*, unde got. *straujan* « στρωννύναι », ahd. *strewen* (p. *strāita*, *strewita*, p. p. *ca-strawit*, *gistrewit*) « sternere ». Eadem lege inter se cognatæ sunt radices *sneu* « vertere » et *snē* « nere », *grēt* (unde germ. **grētō* « fleo ») et *greut* (unde germ. **greutō* « fleo », ags. *greátan*, as. *griotan*, *greotan*, p. *griat*, Cottun. *griot* H. 4072).

Vidimus in verbis quæ reduplicatum præteritum exhibent, sicut in plerisque verbis validis, stirpem præsentis et acutam fuisse primitus, et cum gradu graviore primo radicis, addita syllaba derivativa indoeur. *o-*, *e-* (aut *jo-*, *je-*), informatam esse. Præsentibus igitur germanicis secundæ aut tertiæ aut quintæ classis **skaiþō*, **stautō*, **sējō*, cet. respondent radices *skaiþ*, *staut*, *sē*, cet.

Potest autem fieri ut præsentis stirps aut cum gradu graviore II vel III vel cum gradu leviore appareat, aut cum non a radice pura ducta est, addito elemento quodam inter radicem et syllabam derivativam indoeur. *o*, *e* informata sit.

I. Multa verba quartæ et quintæ classis et omnia, ut videtur, verba primæ classis de falsis, quæ dicuntur, radicibus deducta sunt, in quibus genuinæ radici consona quædam (germ. *t*, *þ*, *d*, *n*, *s*) aut syllaba derivata (indoeur. *neu̯-*) addita est.

II. In præsentis stirpe gradum graviorem II exhibuisse videntur : α) multa verba quartæ classis (**blōtō*, **swōgō*, *blōjō*, cet.), β) nonnulla verba primæ classis (**gangō*, **wallō*, *waltō*, cet.) nempe a radicibus defluxa quæ in gradu graviore I vel vocalem *ē* (indoeur. *bhlē*, *swēgh*, cet.) vel *ĕ* (indoeur. *ghengh*, *u̯el*, cet.) præbebant.

III. Gradu graviore III ad informandam præsentis stirpem usa esse videntur verba quartæ classis quorum radix germanica in *ōw* desinit : cf. germ. **bōwō* a radice indoeur. *bheu̯*.

IV. Gradum leviorem præbent stirpes nonnullorum verborum primæ classis, in quorum præsente non stirps sed terminatio accentum primitus habuisse videtur : cf. germ. **fanhō*, **bannō*, cet., a radicibus indoeur. *pāk* (*pēk*), *bhā*.

Ita in Germanorum lingua novæ classes verborum exstiterunt, scilicet prima et quarta, quas Indoeuropæorum sermo communis nondum præbuisse videtur.

Quæ verba haud secus ac verba secundæ, tertiæ quintæque classis, ad informandas præteriti participiique stirpes, apophonia primitus utebantur. Postquam autem reduplicata syllaba in verbis quæ eam servaverunt, pro legitimo signo præteriti habita est,

evenit ut vicissitudo graviorum et leviorum stirpium paulatim aboleta fuerit et præsentis, præteriti participiique stirpes eamdem vocalem plerumque adeptæ sint.

Exstant tamen quædam pristinæ apophoniæ vestigia, adeo ut confidenter dici possit, distinctionem nullam inter verba quæ per iterationem prioris syllabæ et quæ per apophoniam præteritum informabant, primitus interfuisse.

CAPUT IV

De reduplicata syllaba.

Ut in Indoeuropæorum communi, ita in Germanorum peculiari sermone non præteritum modo per iterationem primæ syllabæ sed et præsens verborum (cf. ahd. *bi-bēn* « tremere » cum scr. *bi-bhêmi* « timeo » aut ahd. *se-stōn* « disponere » cum gr. ἱ-στάναι, lat *si-stere*) et stirpes substantivorum adjectivorumve informatæ sunt (cf. lat. *fi-ber* cum ahd. *bi-bar*, aut lat. *trī-stis* a radice *stre*(*i*) cum as. *thrī-sti*). Non nobis in animo est quæstionem obscurissiman et implicatissimam de reduplicatis stirpibus aut radicibus in germanicis dialectis enucleare, sed hoc tantum nunc propositum habemus ut describamus quæ fuerit informatio reduplicatæ syllabæ in præterito verborum germanicorum, quomodo consonæ et vocalis reduplicatæ stirpis immutatæ fuerint, quomodo in lingua Scandinaviæ et in dialectis Germaniæ occidentalis reduplicata syllaba aut omnino evanuerit aut cum radice verbi quasi coaluerit.

A. — *De præteritis quæ reduplicatam syllabam servaverunt.*

1. Inter germanicas dialectos, Gotica tantum lingua præterita per iterationem primæ syllabæ manifesto informata exhibet. Reduplicata syllaba cujus vocalem scribæ per litteras *ai* efferunt, in omnibus verbis ab iisdem consonantibus, quibus radix, incipit,

his tantum exceptis verbis quorum radix a consona cum sequente *l, r, (n ?)* incipit; quæ primam tantum radicis consonam ad informandam reduplicatam syllabam exhibent.

Faifalþ « plicavit », *faifāh* « cepit », *afaiaik* « repudiavit », *lailaik* « saltavit », *haihait* « vocavit », *maimait* « secavit », *aiauk* « auxit », *lailōt* « permisit », *rairōþ* « suasit », *taitōk* « tetigit », *saisō* « sevit », *waiwō* « flavit », *lailō* « vituperavit ».

Staistald « possedit », *hwaihwōp* « minatus est » [cf. contra lat. *si-stō, ste-tī, spo-pondī; gr.* κέ-κτημαι « possideo » ἕστηκα (= *σέ-στᾱκα); scr. *ta-sthúr* « steterunt ». — V. Henry, *Gramm. comp.*, § 238, 3].

Faifrais « tentavit », *faiflōk* « maledixit », *saislēp* (*saizlēp*) « dormivit » *gaigrōt*, « flevit ».

Goticæ syllabæ *ai* respondere videtur in reduplicata syllaba non germanica diphthongus *ai* sed vocalis *ĕ* brevis quam ceteræ dialecti Germaniæ semper, sæpissime etiam indoeuropæa lingua, in reduplicata syllaba exhibent (1). Germanicam vero vocalem *ĕ* Gotorum lingua in *i* semper commutat, ex qua tamen rursus *ĕ* (quam gotici scribæ per litteras *ai* efferunt ante consonas *r* et *h* per fractionem (*Brechung*) orta est. Itaque, dum germanicis tribus præteritis **hehaite, *reróþe, *hwe-hwópe* in gotica lingua *haihait, rairōþ, hwaihwōp* aptissime respondent, ex præteritis **fefálþe, *fefánhe,* nil nisi got. **fifalþ, *fifāh,* aut, mutata consona *f* in *b* secundum regulam Vernerianam, **fibalþ, *fibāh* (2), effici potest. Mirari possis XVI formas goticas analogiam trium formarum secutas esse. Sed animad-vertendum est vocali *ĕ* quam reduplicata syllaba præbet, in nulla stirpe aut præsentis aut præteriti vocalem *e* aut brevem aut promissam respondere, excepto præsente, interdum etiam præterito verborum quintæ classis : **lētō, *lelōte ; *rēdō, *rerōde ; *slēpō, *seslēpe,* cet. Inde facile intelligitur in his verbis, servata vocali *ē* in gotica lingua, etiam vocalem *ĕ* brevem, analogiæ lege,

---

1. V. Scherer, *Gesch. d. d. Sprache*, p. 279.

2. Cf. græcum verbum τίω, quod præteritum τέτικε analogiæ lege ortum pro *τε-τοιε (*τε-ποιε ?) præbet.

aut servatam nec in *i* immutatam fuisse (ut in ceteris goticis vocabulis accidit), aut in *i* quidem immutatam, sed juvante analogia formæ *rairōþ* in *ĕ* (id est got. *ai*) rursus regressam fuisse. Rebus ita se habentibus, conjicere licet vocalem *ĕ*, in indicium reduplicatæ syllabæ versam, a verbis secundæ et tertiæ, postea primæ et quartæ classis usurpatam esse; ita ut juvante analogia formarum *haihait*, **haihald* « tenuit », **haihlaup* « cucurrit », etiam præterita *faifalþ*, *faifāh*, cet., exstiterint. (V. Kluge, *Germ. conj.*, p. 89; cf. Osthoff, *Perf.*, 276 sqq.)

2. In Scandinavorum lingua supersunt paucæ formæ in quibus servata reduplicata syllaba postquam acuta facta est, pro vera stirpe præteriti habita est.

A verbo *róa* « remigare » flexum est præteritum *rera*, *røra*, id est germ. **re-rō-(e)*.

A verbo *sá* « serere », p. *sera*, *søra*, = germ. **sezō*, **se-sṓ(e)*.

A verbo *slá* « verberare », p. *slera*, *sløra*, = germ. **slezō*, **sle-sṓ(e)*.

A verbo *snúa* « vertere », p. *snera*, *snøra*, = germ. **snezō*, **sne-sṓ(e)*.

A verbo *gróa* « crescere », p. *grera*, *grøra* = germ. **gre-rṓ(e)*?

His adde verbum *gnúa* « radere » quod analogiam verbi *snúa* secutum, præteritum *gnera*, *gnøra*, cf. *snera*, *snøra*, exhibet.

Animadvertendum est, ut in gotica *saizlēp* ita in germanicis formis **sezō*, **slezō*, **snezō*, consonam *s*, sequente syllaba acuta, secundum regulam Vernerianam in *z* versam esse, dum in ceteris verbis goticis, analogiæ lege, stirps præteriti (ut reduplicata syllaba) a spirante in loco mediæ incipit. Præsentibus enim got. *falþan* « plicare », *fāhan* « capere », *haitan* « vocare », *fraisan* « tentare », *hwōpan* « minari », *flōkan* « maledicere », *slēpan* « dormire » respondent præterita *faifalþ*, *faifāh*, cet. pro **faibalþ*, **faibāh*, cet.

3. Dialectus Northumbriæ quinque præterita per iterationem primæ syllabæ informata servavit, quæ sunt: *heht* « vocavit », *leolc* « saltavit », *on-dreord* (*-dreard*) « timuit », *reord* « suasit », *leort* « permisit » (v. Sievers, *Beitr.* IX, 284 sqq.). Reduplicata syllaba, cujus vocalis *ĕ* in quattuor verbis, sequente *r* aut *l* con-

sena in *eo* vertitur (v. Sievers, *Ags. gramm.*, §§ 79, 80), accentum accepit et pro vocali radicis habita est, dum vocalis stirpis, quippe quæ accentus expers fuerit, omnino evanuit; hæc igitur reduplicata præterita pæne eamdem speciem demonstrant quam præterita per apophoniam informata.

Heht et *leolc* ex **he-h(ai)t(e)*, **le-l(ai)k(e)* aut, quod mihi conjectura probabilius est, ex levioribus stirpibus *he-h(i)t-*, *le-l(i)k-* (quæ ad informandum pluralem numerum usurpantur) orta esse videntur.

Eadem lege informata sunt *reord* et *dreord* ex stirpibus *re-r(ō)d-*, *dre-r(ō)d-* aut *re-r(a)d-*, *dre-r(a)d-*; quorum verborum analogiam secutum est *leort* [pro *le-l(ō)t-*, *le-l(a)t-*] quod consonam *r* pro *l* in stirpe exhibet.

Quod si ags. *dreord* cum an. *grera, snera, slera* comparamus, videmus hæc præterita, quod ad consonantes attinet, diversa lege informata esse qua gotica *stai-stald* aut *fai-flōk* (cf. lat. *si-stere*, scr. *sa-smâra*, gr. ἕ-στηκα). Reduplicata enim syllaba ab iisdem duabus consonis incipit, a quibus radix, dum stirps e contrario aut primam tantum (**sne-sō*, **sle-sō*), aut secundam (**dre-rōd*, **gre-rō*) exhibet. Quas germanicas formas ex *sne-snō-*, *sle-slō-*, *dre-drōd-*, *gre-grō-* ortas esse, licet conjicias, dummodo statuas latinas etiam formas *ste-tī*, *spo-pondī*, cet. ex **ste-stī*, **spe-spondī*, cet. nata esse (v. Osthoff, *Beitr.* VIII, 540 sqq.; Noreen, *Urgerm. Judl.* § 50, Henry, *Gramm. comp.* § 238, 3.)

4. Restat ut raras quasdam diutiscas formas respiciamus quas plerique grammatici, velut Schleicher, Schmidt (*Vocalismus* II, 429 sqq.), Kluge (*Germ. conjug.*, 95), Osthoff (*Beitr.* VIII, 552 sqq.), pro vestigiis præteriti per iterationem primæ syllabæ informati habuerunt.

a) A verbo *scrīan* « clamare » flexæ sunt formæ : 3 p. pl. *scrirun*, Otfrid, IV, 24, 14; IV, 26, 7, cf. mhd. *schrirn*, opt. *scriri*; v. *Ahd. Glossen*, I, 600, 41; p. p. *giscriran* (?), mhd. *geschrirn*.

Analogiam verbi *scrīan* secutum est *spīwan* « spuere » quod pro participio præteriti mhd. *gespiren* præbet.

b) A verbo *būan* « habitare » flectit Otfrid. : 3 pl. p. *biruun* (i. e. *biruwun*), IV, 4, 59 et 2 sing. opt. p. *biruuis* (i. e. *biruwīs*), II, 7, 18.

c) A verbo *bluoȥan* « immolare » supersunt derivatæ formæ : 3 pl. ind. p. *pleruȥȥun* « adolerent », 3 s. opt. p. *capleruȥȥi* « immolaret », quæ in diutiscis glossis Rb. fol. 84b, Bl. fol. 1b (cf. *Ahd. Glossen*, I, 409, 18) inveniuntur.

d) Præbet verbum *stōȥan* tertiam pers. sing. ind. p. *kiscrerot* « incidit », verbum *scrōtan* tertiam pers. sing. ind. p. *anasteroȥ* « impingebant [1] » ; v. Rd. fol. 80b, 81b ; cf. *Ahd. Glossen*, I, 281, 65 ; 282, 52 : quæ glossæ ex codice Rd in codicem Jb transcriptæ sunt : « incidit » *kiskrerot* (fol. 95c) ; « impingebant » *anasteroȥ* quod postea in *anasteroȥun*, mutatum est (fol. 96b).

Formæ *kiscrerot* et *anasteroȥ* (*anasteroȥun*) in eodem codice repertæ, quin ab eodem scriptore fictæ sint vix dubitare possis. Sed et formam *pleruȥȥun* et fortasse *capleruȥȥi* ab eodem illo scriptore creatam fuisse monstravit nuperrime Zarncke (*Beitr.* XV, 350 sqq.). Hæc igitur præterita consonam *r* præbentia, rarissima fuisse videntur cum (ut de *scrirun*, *spirun*, cet. taceam, quæ a verbis flexa sunt quorum præteritum non reduplicatum sed per apophoniam informatum esse solet) ab Otfrido tantum et a scriptore quodam ignoto allemannico usurpata fuerint. Vix credendum est igitur *steroȥ* ex reduplicato præterito **ste-ȥaute*, *pleruȥȥun*, *capleruȥȥi* (pro **ple-luȥȥun*), ex **ble-blutume*, *scrirun*, *spirun*, cet., ex **skri-ȥime*, **spe-ȥume*, *biruwun*, *biruwīs* (pro **be-buwun*), ex **be-buwume* orta esse. Sed assentiendum est potius viris doctis Lachmann, Grimm et Zarncke qui consonam *r* inter vocales *e* et *o* aut *u* euphoniæ causa interpositam et *steroȥ pleruȥȥun*, cet. ex *steoȥ*, *pleuȥȥun*, *capleuȥȥi*, *biuwun*, *biuwīs*, *scriun*, *spien* orta esse docent. Haud alia lege exstiterunt in recentioribus dialectis Germaniæ formæ : *i strā-r-et* « ich streute », *bis rue-r-i*

---

1. *Impingebant* menda scribæ est pro *impingebat* (« impingebat in ostia », I, Reg. 21, 13).

« sei ruhig » cet., aut in vetustiore lingua *bistu-r-unschuldic* « bist du unschuldig ».

B. — *Qua lege ex reduplicatis perfectis, præterita per apophoniam informata exstiterint.*

Res est notissima, cum perfecti stirpem in Indoeuropæorum sermone communi per iterationem primæ syllabæ informatam fuisse, tum reduplicatam syllabam nonnunquam in indoeuropæa, sæpissime in germanica lingua cecidisse ([1]). Major enim pars verborum quæ dicuntur validorum præteritum per apophoniam informat et præsentis stirpi plerumque gradum graviorem I radicis, præteriti stirpi graviorem II adhibet. Pauca tamen supersunt exempla verborum hujus descriptionis quæ reduplicatam syllabam etiam in germanica lingua servavisse videntur : Verbum **slahō* « verbero » præteritum **slōhe* (got. *slōh,* an. *slóg,* ahd. *sluog,* ags. *slōh, slōg,* afr. *slōg, slōch*) et **sle-sóhe* (an. *slera slora*) præbet; haud aliter flectitur germ. **wahsō* « cresco », p. **wōhse* (got.

---

1. De lege cujus opera in indoeuropæa aut germanica lingua reduplicata syllaba perfecti ceciderit, non consentiunt grammatici. Docet J. Schmidt (*K. Zs.* XXV, 30 sqq.) reduplicatam syllabam in formis cecidisse in quibus terminationis syllaba acuta erat ; deinde ex **bitúm(e), *budúm(e),* analogiæ lege, præterita **beile, *baúde* (pro **be-beite, be-baúde*) orta esse. — Osthoff (v. *M. U.* IV, p. VIII, cf. p. 133 in notula) conjicit reduplicatam syllabam ante syllabam acutam (id est ante stirpem graviorem), aut accentum gravem (*Nebenton*) accepisse (**sè-sóde, gè-góme,* cf. scr. *sasáda, jagáma*), aut accentus omnino expertem fuisse ac postremo elapsam esse (**se-sódè, *s-sóde, sóde* = got. *sat*) ; reduplicatam autem syllabam, stirpe leviore II subacta, accentum gravem semper accepisse [germ. * *bè-bitúm(e)*], sed stirpe leviore I subacta, accentus expertem semper fuisse [germ. **h(e)-būwúm(e)*] ; ideo, analogiæ lege cum in germanica lingua **bitum* (ex **bè-bitúme*) aut **beuwum* [ex **be-huwum(e)*], tum in sanscritica et in græca *babhūyát,* πεφύκασι ex **bhūyát* cet. orta esse. — Kluge (*Grundriss d. d. Phil.,* I, § 37) conjicit reduplicatam syllabam primum in plurali numero verborum validorum quartæ et quintæ classis **sēdn̥t, *gēmn̥t* (pro **se-zd-n̥t, *ge-gm-n̥t*), deinde, analogiæ lege, in singulari numero **sóde, *góme,* inde etiam paulatim in ceteris classibus verborum validorum in germanica lingua cecidisse.

wōhs, an. *óx*, as. ags. afr. *wōx*, ahd. *wuohs*) aut **we-wōhse*, pl. **we-w(a)hsume*, **we-uhsume* (ags. *weóx*, pl. *weóxon*) [1] ; quibus addere possis fortasse verbum **heufō* « nænias cano » (ags. *heófan*) quod p. pl. **he-hufume* (ags. *heófon*) præbet. Num etiam præterita ags. *breót*, as. *griat*, *griot* (Cottun.), ags. *hneóp*, quæ præsentibus ags. *breótan*, an. *brjóta* « frangere », as. *griotan greotan* « flere », got. *dishniupan* « avellere » respondent, pro reduplicatis primitus præteritis habenda sint omnino incertum est.

Ut in quibusdam verbis quæ præteritum per apophoniam informare solent reduplicata syllaba servata est, ita rursus in paucis reduplicatis præteritis reduplicata syllaba cecidisse videtur. Præteritum **he-haite* pariter ac **haite* (run. *hait*, wn. *heit*, on. *hēt*, ahd. *caheiz*, **swe-swaipe* et **swaipe* (an. *sveip*), **le-laike* et **laike* (aschw. *lēk*), **ske-skaide* et **skaide* (ags. *sceád*) usurpabant Germani jam ante tempus quo ex **he-haite* forma **hé-haite* (unde postea, mutata *ai* in *ē*, **héhēte*) orta est. Occurrunt nobis etiam præterita **lōte* (on. *lōt*) « permisit » pro **le-lōte*, **tōke* (an. *tók*) « cepit » pro **te-tōke*, **hlaupe* (on. *lop*, wn. pl. *hlaupo*) « cucurrit » pro **he-hlaupe*, pl. **hlupume* (wn. *hlupo*, on. *lupu*, ags. *hlupon*, mhd. *luffen*) pro **he-hlupume*, **falle* (on. *fall*) pro **fe-falle*, **walde* (on. *valt*) pro **we-walde*, pl. **fullume*, **huldume*, **wuldume* (on. *fullo*, *huldo*, *holdo*, wn. *oldo*) pro **fe-fullume*, cet., **gange* (ags. *gang*) pro **ge-gange*. Quæ autem formæ utrum ante tempus quo accentum reduplicata syllaba accepit, an eo tempore quo accentus rursus ex reduplicata syllaba in stirpem delatus est ortæ sint, nescio.

Dum in germanica lingua hæc videntur verba præteritum per apophoniam informavisse quorum radix dissimilem vocalem in gradu graviore I et in gradu graviore II exhibebat, illa reduplicatam syllabam servaverunt quorum stirps gravior I cum gra-

---

1. Verbum ags. *spanan* quod secundum sextam classem verborum validorum flectitur (p. ags. as. ahd. *spōn*) nonnunquam analogiæ verbi ags. *spannan* p. *speónn* obtemperavisse videtur, et præteritum *speón* exhibet pro *spōn*.

viore II confundebatur. Cum enim inter stirpes præsentis *hald, hait, staut, blōt, bōw, slēp* et præteriti *hald, hait* cet. discrepantia nulla esset, oportebat alio quodam modo præteritum a præsente distingui; inde reduplicata syllaba velut indicium præteriti facta est. Fateor quidem verba quartæ classis et reduplicatam syllabam et distinctionem inter stirpem graviorem I (*lēt*) et II (*lōt*) servavisse. Sed animadvertendum est præteritum verborum ad hanc informationem pertinentium aut vocalem *ō* aut vocalem *ē* haud secus ac præsens exhibuisse; inde conjicere possis reduplicatam syllabam, cum in **slēpō* « dormio », **se-slēpe,* tum analogiæ lege in **letō* « permitto », **le-lōte, *tēkō* « capio », **te-tōke* servatam fuisse. Eo confidentius, quod verbum **takó* (ab eadem radice informatum qua verbum **tēkō*) cujus præsentis stirps, per gradum vocalis leviorem II informata non eamdem vocalem præbet quam stirps præteriti, non verbi **slēpō,* ne verbi quidem **tēkō* analogiam secutum est, sed, amissa reduplicata syllaba, in similitudinem verborum validorum sextæ classis raptum est.

Sed cum reduplicata syllaba velut indicium præteriti facta est, facile intelligemus verba per iterationem primæ syllabæ præteritum informantia vicissitudinem graviorum et leviorum stirpium non servavisse, sed plurali numero præteriti, analogiæ lege, eamdem vocalem quam singulari numero et præsenti adhibuisse, cujusdem præsentis in similitudinem et participii præteriti stirps rapta est. Mutata sunt igitur p. pl. **fe-fungume* « cepimus » in **fe-fangume, *he-hitume* « vocavimus » in **he-haitume, *e-ukume* « auximus » in **e-aukume, *le-latume* « permisimus » in **le-lōtume* cet., participio etiam eamdem vocalem præbente : **fanganas, *haitanas, *aukanas.* Mox etiam in verbis quintæ classis vocalem præteriti *ō,* quæ in Gotorum tantum sermone integra servata est, a ceteris Germanis, analogiæ lege, in *ē* mutatam fuisse infra videbimus.

Accentum, quem in indoeuropæa haud secus atque in germanica lingua antiquiore prima stirpis syllaba in præterito habebat, reduplicata syllaba, aut jam ante tempus quo spirantes consonæ in medias versæ sunt, aut, quod mihi conjectura probabilius esse videtur, paulo post, sub illud tempus quo in omnibus germanicis

vocabulis prima syllaba acuta facta est, sibi assumpsit (1). Exempli causa affero præteritum ahd. *hēt* « vocavit », ags. *hēt*, an. *hét*, afr. *hēt* (*hīt*) quod, ut mox ostendam, ex **he-haite*, *(*he-*)*hēt*(*e*) ortum est, mutata germanica diphthongo *ai* in vocalem *ē* promissam.

Postquam in germanica antiquiore et gotica lingua duæ conjugationes verborum validorum exstiterunt quarum hæc per apophoniam, illa per iterationem primæ syllabæ præteritum informabat, in Scandinavorum lingua et in dialectis Germaniæ occidentalis ex ambabus conjugationibus una facta est, raptis reduplicatis præteritis in analogiam præteritorum per apophoniam informatorum. Nonnulla igitur verba reduplicatam syllabam, quippe quæ acuta fuerit, pro sincera stirpe præteriti usurpaverunt, cum vocalis radicis aut brevis facta fuerit, aut omnino evanuerit. Exempli gratia : ags. *leort* « permisit », *reord* « suasit », *dreord* « timuit », *leolc* « saltavit », *heht* « vocavit », item an. *snera* « vertit », *rera* « remigavit », *sera* « sevit », *slera* « verberavit », *grera* « crevit », *gnera* « rasit » ; in quibusdam aliis verbis reduplicata syllaba cum stirpe coaluit, ut in **we-wuldume* « regnavimus », unde, mutata *w* in *u* (2), **weuuldume*, **weuldum*, ags. *weóldon*, factum est. Postremum in multis verbis accentus ex reduplicata syllaba rursus in stirpem cecidit (3), ita ut reduplicata syllaba, accentus expers, tandem evanuerit. Satis erit exempli causa afferre præteritum **hé-hēt* « vocavit » quod in *hehét*, *hhēt*, *hēt* mutatum est.

1. De hac quæstione controversia inter Kluge (*Germ. Conj.*, p. 74 sqq.) et Paul (*Beitr.*, 542 sqq.) exorta est. Cum paucissimæ sint germanicæ formæ, non satis aperte perspicitur qua lege in reduplicatis præteritis spirantes in medias mutatæ fuerint. Sed quia in **se-só*, **sle-só*, **sne-só*, **se-slēp* = an. *sera*, *slera*, *snera*, got. *saizlēp* spirans in mediam mutata est, conjicere licet sententiæ viri docti Paul fidem majorem adhibendam esse et primam syllabam acutam factam esse post tempus quo spirantes in medias conversæ sunt.

2. Cf. germ. **jūngaz* « juvenis » ex **juwungaz*; ahd. *niun* ex germ. **newun* = indoeur. **neu̯n̥* (scr. *nàva* « novem »). v. Brugmann, *Grundriss*, I, § 179.

3. V. Holthausen, *K. Zs.* XXVII, 618 sqq. ; Hoffory, *K. Zs.* XXVII, 593 sqq.

Ita in Scandinavorum lingua et dialectis Germaniæ occidentalis nata est nova forma præteriti, quæ stirpem per vocalem *e* aut brevem aut promissam, aut per diphtongum *eu* informatam præbet.

1. A præteritis ordiar in quibus stirps præteriti vocalem *ē* præbet. Quam vocalem *ē*², a vocali germanica *ē*¹ distinctam [1] (quam anglosaxonica et frisica lingua in *ǣ* aut *ē*, Scandinavorum lingua et ceteræ dialecti Germaniæ occidentalis in *ā* commutant) omnes dialecti Germaniæ integram servant, excepta diutisca lingua quæ *ē*² in *ea, ia, ie,* vertit. Vocalem *ē*² acutam præbent cum paucissima germanica vocabula (scilicet *hēr* « hic », got. *fēra* « μέρος, κλίμα », ahd. *fiara,* ahd. *zēri ziari* « decus », *scēro scearo* « celer »), tum nonnulla vocabula quæ germanica lingua e latina desumpsit, sicut : got. pl. *Krēkōs* (lat. *Græcos*), *mēs,* ahd. *meas* (lat. *mēnsa*), ahd. **brēf, briaf, brief* (lat. *breve*) cet. (v. Singer, *Beitr.* XI, 293, sqq.). Videtur ex altera parte germanica *ē*¹ in syllabis accentus expertibus nonnunquam in *ē*² aut *ĕ* mutata esse [2]. Denique animadvertendum est Scandinavorum linguam et dialectos Germaniæ occidentalis diphthongum *ai* in syllabis accentus expertibus in *ē*² vertere, quod satis demonstrabitur si quis conferet germ. **blind-aimi* « cæcis » got. *blindaim* cum ahd. *blintēm,* aut got. *þai* « hi », *þaim* « his » cum ahd. *dē dia die, dēm deam diem.* — v. Brugmann, *Grundriss,* I, § 83.

Vocalem *ē*² verbis secundæ classis in præteriti stirpe plerumque adhiberi paulo superius vidimus. Ex germ. **hé-haite* « vocavi », **hé-haitume,* mutata *ai* in *ē*², factum est **hé-hēte, *hé-hētume,* quod, accentu e reduplicata syllaba in stirpem delabente, in **he-hḗt, *h-hḗt, *hḗt* pl. *hḗtum* mutatum est. Cf. ahd. *hiez,* as. *hēt,* wn. *hét,*

1. V. Mahlov, *Die langen Vocale A, E, O,* p. 152, 163 ; Schrader, *Bezzenberger Beitr.* XV, 131 ; Kluge, *Grundriss. d. d. Philol.,* I, 356, 363 ; Jellinek, *Beitr.* XV, 297 sqq.

2. De hac quæstione implicatissima, v. Bremer, *Beitr.* XI, p. 33, sqq. ; cf. Kluge, *Grundriss d. d. Phil.,* I, p. 356, 363. In syllaba accentum gravem (*Nebenton*) accipiente, utrum *ē*¹ in *ē*² an in *ĕ* immutata fuerit, incertum est. — v. Bremer, *Beitr.* XI, p. 30 sqq.

on. *hæt*, ags. *hēt*, afr. *hēt, hīt* (1). Utrum præteritum wn. agutn. *hīt* e germanico imperfecto **heite* (Noreen) an ex *hēt*, mutata $\bar{e}^2$ in *ī* velut in frisica lingua (v. *Beitr*. XI, p. 230), ortum sit, incertum est.

Eamdem vocalem $\bar{e}^2$ præbent præterita verborum quintæ classis (2), videlicet ahd. *liez* « permisit » cet.; wn. *lét, grét* « flevit », *réð* « imperavit », *blés* « flavit »; on. *læt, græt*, agutn. *rēþ* (*riaþ?*); ags. *on-drēd* « timuit », *lēt, rēd, slēp* « dormivit »; quorum verborum analogiam secutum est verbum quartæ classis an. *blóta* « immolare » quod in præterito wn. *blét* præbet. Verba quintæ classis in gotica lingua fere omnia vocalem *ō* ad informandam præteriti stirpem usurpant (*lailōt, gaigrōt, rairōþ, taitōk* « cepit », *saisō* « sevit », *waiwō* « flavit », *lailō* « vituperavit ») dum vocalem *ē* solum præteritum *saislēp* (*saizlēp*) præbet; utrum $\bar{e}^2$ an *ō* usurpaverint in præterito verba germ. **wētō* « maledico », **brēdō* « coquo », *-*drēdō* « timeo », **bēgō* « certo », cum in gotica lingua non servata sint, incertum est. Verba igitur quæ vocalem *ē* ad informandam præteriti stirpem usurpant, numero pauciora in germanica lingua fuisse constat; quorum tamen analogiam secuta sunt verba quæ in præteriti stirpe vocalem *ō* exhibent. Etenim, ut in verbis primæ, secundæ, tertiæ, quartæ classis præsens et præteritum eamdem vocalem exhibebat, ita in verbis quintæ classis distinctio inter stirpem præteriti præsentisque cum in **slēpō*, **se-slēpe*, tum, analogiæ lege, in **lētō*, **le-lēte* (pro **le-lōte*) postremum evanuit. Deinde, reduplicata syllaba accentum adepta, vocalis $\bar{e}^1$, quia accentus expers facta erat, in $\bar{e}^2$ mutata esse videtur. Denique, accentu rursus in stirpem delapso, reduplicata syllaba sublata est. Ideo ex **le-lóte* primum **le-lé¹te* (cf. pr. **lētō*), deinde **lé-lē²te*, postremum **le-lé²te*, *(*l*)*lé²te*, **lét* factum est, servata tamen in paucis vocabulis vocali $\bar{e}^1$, scilicet in aschw. *lāt, grāt*, ags. 2 pl. p. *on-drædan* (v. Cosjin, *Altws. Gramm.*, II, p. 144), cf. *for-læte* (v. ibid., I, p. 44).

2. Ad præterita verborum primæ classis transimus, ahd. *hēlt*

---

1. V. *K. Zs.* XXVII, 596, cf. 620.
2. V. *K. Zs.* XXVII, 618 sqq.

« tenuit », as. *hēld,* wn. *helt* (aschw. *hælt*), afr. *hēlt,* quæ cum in Scandinavorum lingua, tum in diutisca et saxonica vocalem *e* primitus brevem in stirpe exhibere, in primo capite demonstravimus. In Anglosaxonum lingua præteritum plerumque per diphthongum *eó* (cui germanica *eu* respondet) informatur, servata vocali *ĕ* in verbis *feng* « cepit » et *heng* « suspendit ». Qua lege ex **he-halde, *fe-fange,* orta sint *held feng,* nunc exquiramus.

a) Verbum **fanhō* « capio » cum radice germanica *fēh* haud secus ac cum radice indoeuropæa *pāk pāg* cognatum esse supra ostendimus. Cujus igitur radicis forma genuina *pā$_x$k, pā$_x$g,* esse videtur, ex qua modo *pāg* (ut in lat. *compāges, pāx,* gr. πέπᾱγα), modo *pēg pēk* (ut in gr. πήγνυμι, got. *ga-fēhaba,* an. *fægja*) oriri potuit. A radice indoeur. *pā$_x$k* = germ. *fēh,* et præsens **fah-nó* unde **fanhō* (cf. **takó* « apprehendo » a radice *tēk*), et præteritum sive sit **fe-fōhe* (cf. **lētō : *le-lọte*), sive **fe-fēhe* (cf. **slēpō : *se-slēpe*), derivare licuit. Quid de altera forma (**fe-fēhe*) in germanici sermonis decursu sit eventurum nunc exquiramus. Præteritum **fe-fēhe* (pl. **fe-fēhume ;* quod analogiæ lege ex **fe-fahume* ortum est) cui perfectum latinum *pēgī,* quod eamdem vocalem *ē* exhibet, respondere videtur, analogiam præsentis secutum est, interposita consona *n* inter *ē* et *h.* Tum ex formis **fe-fēnhe, *fe-fēnhumé,* correpta vocali *ē* ante biconsonam et mutata *h* in *g* secundum regulam Vernerianam, factum est **fefe(n)he, *fe-fengume,* unde, analogiæ lege, **(fe-)feng, *(fe-)fengum.* Eodem tempore a præsente **fa(n)hō* declinatum est, sicut a ceteris verbis quorum præsentis stirps in *a + lx* aut *a + nx* desinit, reduplicatum præteritum **fe-fanhe, *fe-fāhe* (cf. a præsente **haldō* « teneo » præteritum **he-halde*). Ex **fe-fāhe* præteritum got. *faifāh,* ex **feng, *fengum,* formas ahd. as. ags. afr. *feng,* wn. *fekk* (on. *fæk, fik*) pl. *fengo, fingo* (1) ortas esse existimo. **Hanhō* « pendeo » analogiam verbi **fanhō* secutum esse videtur.

---

1. Utrum vocalem *e* in *i* (on. *fik* pl. *fingo*) jam germanica lingua ante biconsonam *n + x* (cf. **bindō* ex **bhendhō* « vincio », v. Brugmann, *Grundriss,* I, § 67, 1) mutaverit, an in Scandinavorum tantum lingua cum ex *fangenn* formæ *fengenn, fingenn,* tum ex *fengo(m)* forma *fingo(m)* facta fuerit nescio.

b) Conjectura probabile est in germanica lingua aut præsens aliquando vocalem præteriti præbuisse (cf. aschw. *halpa* « adjuvo » pro germ. **helpō*), aut præteritum nonnunquam eamdem vocalem quam præsens exhibuisse [1]; quod satis demonstrabitur comparatis præt. wn. *help*, *hialp* cum præs. wn. *hialpa* (germ. **helpō*), aut præt. **se-slēpe* cum præs. **slēpō* aut perf. πέφευγα « fugi » cum præs. φεύγω [2]. Itaque a radicibus indoeuropæis *ghengh*, *u̯el*, *sqel*, cum præsentia **gangō* « eo », **wallō* « bullio », **waltō* « volvor », **skaldō* « navem propulso », aut **gengō* (ags. *gengan*), **weltō* (an. *velta*), **skeldō* (ahd. *sceltan*), tum præterita **ge-gange* aut **ge-genge*, **we-walle* aut **we-welle* cet. derivari possunt. E formis **geng*, **well*, **welt*, **skeld* (pro **ge-génge* cet.) præterita ahd. *gieng*, *wiel*, *wielz*, *scielt*, as. *gēng*, *wēl(l)*, wn. *gekk* pl. *gingo*, *gengo*, on. *gæk*, *gik* pl. *gingo*, ags. *geng* (Gen. 626, 854), afr. *geng*, orta esse videntur. Ex quo quidem constabit verba ad seriem *E* primitus pertinentia, etiam si in seriem verborum, quæ reduplicatum præteritum usurpant, transierunt, perfectum cum vocali *e* extra solitam legem informare aliquando potuisse. Nunc autem, quod ad verba quæ in radice vocalem *ă* aut *ā* primitus exhibuerunt, etiam si ad seriem *E* transierunt, an fieri possit ut vocalem *e* in præteriti stirpe unquam demonstraverint, non modo incertum, imo contra verisimilitudinem esse videtur.

c) Nonnulli grammatici conjecerunt in verbis **fé-falþe* « plicavit », **fé-falle* « cecidit » cet. primo vocalem *a* (quippe quæ accentus expers fuerit), deinde consonam *f* quæ huic vocali præerat, elapsam esse; quare, facta harum litterarum detractione, supererant formæ **felþ*, **fell* ([3]). Sed horum sententiæ duæ res

1. V. Noreen, *Grundriss d. d. Philol.*, I, 509 sq. cf. 511.

2. Quibus addi possent fortasse verba : **heufō* (got. *biufan*, ags. *beófan*), cf. p. **heuf(e)* [ags. *beóf*], **breutō* (an. *brjóta*, ags. *breótan*), cf. p. **breut(e)* [ags. *breót*], **greutō* (as. *greotan*, *griatan*), cf. p. *greut(e)* [as. *griat* Monac., *griot* Cott.], **hneupō* (got. *disbniupan*), cf. p. **hneup(e)* [ags. *a-bneóp*]; cf. p. 83.

3. V. Scherer, *Z. Gesch. d. d. Sprache*, p. 279 sq.; cf. Sievers, *Beitr.* I, p. 509 « es ergeben sich aus den formen **fēfal*, **hēhald*.... *durch allmählige zusammenrückung* (??), *fēl*, *hēld* ».

objiciendæ sunt : scilicet, neque, cur consona e medio ablata fuerit a quoquam adhuc enodatum est, neque vocalis etiam si accentus expers fuerit, seu post syllabam brevem, seu subactis duabus consonis, in Germaniæ occidentalis sermone cadere solet (v. Brugmann, *Grundriss,* I, § 635). Verisimile igitur non est e præteritis **fe-falþe, *fe-falle,* cet. unquam formas **felþ, *fell,* cet., ortas esse. Unum tantum conjicias licebit : postquam reduplicata syllaba (quæ acuta erat) pro sincera stirpe præteriti habita est, fortasse ex præteritis **é-alþe* « senuit », **hé-(h)alde* « tenuit », aut vocalium *e* et *a* coitu formæ **ēlþ, *hēld* (unde **ĕlþ, *hĕld*), aut ejecta vocali *a* accentus experti formæ **elþ, *held* (cf. got. *karist* ex **kara-ist,* » μέλει », ahd. *galtiro* ex *gi-altiro* « senior ») ortæ sunt.

d) Cum verba **fāhō* et **hāhō, *gangō, *wallō, *waltō* et **skaldō,* item **alþō* et **haldō,* præterita **feng* et **heng, *geng, *well, *welt* et **skeld, *elþ* et **held* usurpaverint, facile intelligemus et reliqua verba primæ classis analogiæ lege, vocalem *e* brevem præteriti stirpi adhibuisse. Ut a verbo wgerm. **gangu,* præteritum **geng,* ita a verbis **fallu, *falþu,* cet. præterita **fell, *felþ,* cet. flexa sunt ; cui mutationi analogia quoque verborum quintæ classis profuisse videtur (1). Ut enim, mutata germanica $\bar{e}^1$ in *ā,* præsenti wgerm. **lātu* præteritum **lēt,* haud aliter præsentibus **găngu, *făllu,* cet. respondebant præterita *gĕng, fĕll.* Postremo, sub illud tempus quo prima diutiscæ et saxonicæ linguæ monumenta exscripta sunt, verba *fāhan* et *hāhan,* sicut *lātan* ad informandam præteriti stirpem vocalem *ē* promissam usurpaverunt ; inde in ceteris verbis primæ classis, e brevi vocalis *e* longa facta est.

3. Superest ut de præteritis loquamur quæ diphthongum germanicam *eu* in stirpe exhibent ; quibus præteritis præsentia aut diphthongum *au* aut vocalem *ō* promissam aut vocalem *ă* aut *ē* præbentia respondent.

a) Verborum tertiæ classis pauca exempla præteriti supersunt. Scandinavorum lingua præbet formas *hió* « cudit » (pro **he-hōw*)

---

1. v. *K. Zs.* XXVII, 622.

pl. *hjuggu(m)* [pro **he-hūwun*] et *iók* « auxit », *iós* « hausit », pl. *ióku(m)*, *iósu(m)* quæ aut ex **é-ōk*, **é-ōs*, mutata germanica *au*, quia accentus expers erat, in *ō*, aut, quod verisimilius est, ex pl. **é-ukume*, **é-usume*, unde **eukum*, **eusum*, natæ sunt. Deinde ex his formis, analogiæ lege, cum **hleupum* « cucurrimus » pro **he-hlupume*, tum in singulari numero, **euk*, **eus*, **hleup* (= an. *iók*, *iós*, *hlióp*) orta sunt (1).

Haud absimilis est informatio præteriti in dialectis Germaniæ occidentalis. **Hé-hūwume* in **he-uwum*, **heuwum*, mutatum est, unde ahd. *hio hieuun* (Tatian), *hiu hiuuuen* (Notker), as. *heu* (H.) pl. *heuwun* (Hildebrandslied); ex **hleupe*, p. **hleupume* defluxit ahd. *leof liuf*, as. *ahliopun* (H.) *analiepon*, *lief* (Ps. Gl.), ags. *hleóp*, westfries. opt. *hliope*; et ags. *heófon*, *heófun*, ex **hé-(h)ufume*. Quorum verborum analogiam secuta sunt ahd. *steoz* « tutudit », *screot* « eripuit », ags. *geneóp* (?), *on-reód* « imbuit », *breót* « fregit », *a-hneóp* « avulsit ». Quarum stirpium pars sonans *eu* sub tempus quo prima monumenta diutiscæ linguæ exscripta sunt, dissyllaba fuisse videtur cum in *ste-r-oz* (*ste-r-ozun*), item in *bi-r-uwīs*, *bi-r-uwun*, *ple-r-uzzun*, *ca-ple-r-uzzi* (quæ formæ ad verba quartæ classis pertinent) consona *r*, ut supra monstravimus, inter *e* et *u* interposita fuerit; postea vero ex illa dissyllaba diphthongus *eu* exorta est.

b) Verba quartæ classis, cum raro in similitudinem verborum secundæ aut quintæ classis rapta sunt (cf. wn. *blét* « immolavit » cum *hét*, *lét*, cet.), tum sæpissime eadem lege qua verba tertiæ classis, elementum *eu*, ut dissyllabam primum, deinde ut diphthongum præteriti stirpi adhibuerunt (2). Ut enim ex **hé-hūwume* in Scandinavorum lingua *hjuggu(m)* et in Germaniæ occidentalis dialectis **heuwum*, ita ex **be-būwume* « coluimus » analogiæ lege formæ an. *bjuggu(m)* cet., wgerm. **beuwum* (Otfrid : *biruwun*, *biruwīs* pro **biuwun*, **biuwīs*) defluxerunt. Ex **wé-wūpume* « fle-

---

1. v. *K. Zs.* XXVII, 597, 620; *Grundriss d. d. Philol.*, I, p. 511, 512; *M. U.* IV, 337.
2. v. *K. Zs.* XXVII, 601, 621.

vimus », **hwé-wŭþume* « gloriati sumus », **swé-wŭgume* (?) « strepuimus », **hwé-wŭsume* « tussivimus », mutata *w* in *u* facta sunt **weuþum*, **hweuþum*, **sweugum*, **hweusum*, ahd. *weofun*, ags. *weópon*, *hweópon*, *sweógon*; inde, analogiæ lege, ahd. *weof*, ags. *weóp*, *hweóp*, *sweóg*, *hweós*, item ahd. *ple(r)uzzun*, *caple(r)uzzi*, ags. *bleót* « immolavit »; ahd. *hreop* « clamavit », ags. *hreóp*; ags. *geneóp*, *onreód*. Postremo animadvertendum est in anglosaxonica lingua verba pura quartæ classis, analogiam verborum purorum quintæ et verborum tertiæ quartæque classis secuta, eamdem diphthongum *eu* in stirpe præteriti exhibuisse (cf. *bleów*, *fleów*, *greów*, *hleów*, *reów*, *speów*, *gleów*), dum in ceteris germanicis dialectis aut ad debilem conjugationem transierunt aut reduplicatam syllabam integram servaverunt (cf. wn. *grera*, *rera*).

c) Nunc venimus ad verba pura quintæ classis quæ sicut verba pura quartæ classis in omnibus fere germanicis dialectis aut ad conjugationem debilem transierunt aut reduplicatum præteritum usurpaverunt (got. *saisō* « sevi », an. *sera*, *sora*), in Anglosaxonum autem Saxonumque lingua, diphthongo *eu* ad informandam præteriti stirpem usa sunt. Quintæ classis verba aut vocalem *ē* primitus in stirpe præteriti præbuisse, aut vocalem *ō* analogiæ lege in *ē* mutavisse supra demonstravi. Exempli causa affero præteritum germ. **se-sṓ(e)* (got. *saisō*, an. *sera*) quod in **se-sḗ(e)*, **sé-sē(e)*, postremo accentu e reduplicata syllaba in stirpem cadente, in **se-sḗ*, **s-sḗ*, *sḗ*, mutatum est. A præterito singulari **sē*, declinatus est pluralis numerus **sēum*, **sēuþ*, **sēún* aut, interposita consona *w* inter vocalem *ē* radicis et *u* terminationis, **sēwum*, **sēwuþ*, **sēwun*; inde analogiæ lege etiam in singulari numero **sēw* (ags. *sēw*, cf. *cnēw*), aut mutata *w* in *u* (quod in extremo vocabulo fieri solet) **sēu* ortum (cf. as. *obar-seu*, Cottun. 2546). In Anglosaxonum lingua videtur plerumque præteriti sing. **sēu*, **sēo*, pl. **sēwun*, vocali *o* in plurali numero et consona *w* in singulari analogiæ lege additis, orta esse conjugatio; cujus est paradigma : *seów*, pl. *seówun*, *seówon*; quam omnia verba hujus informationis consecuta sunt [cf. *bleów*, *cneów*, *creów*, *meów* (?), *ðreów*, *weów*, *cleów* (?)].

d) Diphthongum *eó* ad informandam præteriti stirpem usurpant in Anglosaxonum lingua etiam verba primæ classis, quæ in ceteris Germaniæ dialectis semper vocalem *e* brevem præbent. Quam diphthongum *eo* brevem per fractionem ex *ĕ* ortam esse, sequente *l* consona, docent Scherer (*Z. Gesch. d. d. Sprache*, p. 284) et Sievers (*Beitr.* I, 507 sqq.) [1]. Mihi tamen videtur fides major sententiæ viri docti Kluge (*Germ. conj.*, p. 101 sq. cf. *Grundriss d. d. Philol.*, I, p. 374) adhibenda, qui præterita verborum primæ classis eadem lege informata esse existimat qua etiam pleraque præterita in anglosaxonica lingua informari paulo superius comperimus. Nam ex **he-(h)uldume* « tenuimus », **we-wuldume* « regnavimus », **we-wullume* « ferbuimus », **we-wultume* « voluti sumus » nata sunt **heuldum*, **weuldum* cet., ags. *heóldon, weóldon, weóllon, weólton, weólcon;* inde, analogiæ lege, cum *heóld, weóld, weóll, weól, weólc*, tum *feó(l), feóld, steóld, seólt*. Nec verba tantum quorum stirps in consonas *lx* desinit, sed etiam verba quorum stirps in *nx* desinit, nonnunquam, analogiæ lege, præterita per *eó* informata usurpaverunt : cf. p. *geóng* « ivit », *speón(n)* « tendit » quæ diphthongum *eó* præbent, cum, e contrario, in *spenn* (Gen. 445), *blend, feng* et *heng* vocalis *ĕ* brevis, ut in ceteris Germaniæ dialectis, nobis occurrit. Denique non mirandum est si quædam verba secundæ classis, falsam analogiam prosecuta, *eó* pro *ē* in stirpe exhibuerint, ita ut de præsentibus *hnātan* « percutere », *blātan* « livere », **swāfan* « celeriter moveri » præterita *hneót, bleót, sweóf* flexa fuerint.

---

1. Vocalis *e* ante consonam *l* aut *lx* plerumque integra servata est (ags. *helm, helpan*, cet.), ante *lh* per fractionem (*Brechung*), aut sequente syllaba vocalem *u* aut *o* exhibente, per periphoniam (*Umlaut*) in *eo* mutata est (ags. *eolh, seolh*, cet., aut *heorn, weorod, weorold*, cet.). Ideo e **fell* nihil nisi ags. *fell*, ex **fellum, -uþ, -un* nihil nisi ags. *feollun, feollon*, fieri potuit. v. Sievers, *Ags. Gramm.*, §§ 81, 106; Cosjin, *Altwests. Gramm.*, I, p. 38.

CONCLUSIO

Quæ verba in germanica lingua præteritum per iterationem primæ syllabæ informatum servaverint et quomodo reduplicata syllaba aut immutata fuerit aut postremum evanuerit, in hoc opusculo exponere conati sumus. Liceat nunc summam universæ disputationis breviter complectamur et quæ fuerint fata reduplicati præteriti in decursu historiæ germanicarum dialectorum perlustremus.

1. Ante illud tempus quo vetus Germanorum lingua a sermone communi Indoeuropæorum sejuncta est, præteritum verborum validorum sine dubio per apophoniam informabatur dum verbi radici, in singulari numero acutæ, gradus gravior vocalis, in plurali numero accentus experti, gradus levior tribuebatur. Reduplicata syllaba quæ plerumque servata erat, nonnunquam tamen, ut supra conjectum est (v. p. 82 in notula), evanuerat, ita ut duplex præteriti forma exorta sit, nempe **se-sóde* « sedit » et **sóde*.

2. Mox autem reduplicatam syllabam (quæ cum in singulari, tum in plurali numero accentus expers erat) Germani in verbis in quibus præsentis stirps a præteriti stirpe colore vocalis distinguebatur (exceptis paucissimis formis in quibus reduplicata syllaba servata esse videtur) omnino aboleverunt. Nempe ex duabus formis præteriti indoeur. **se-sóde* et **sóde,* illa paulatim obsolevit, hæc contra viguit, ita ut postremo Germani solo præterito **sate* (pl. **sētume*) usi sint.

Itaque major pars verborum, non jam per iterationem prioris syllabæ, sed per apophoniam modo vocalis radicis præteritum informavit. Cetera vero verba quæ eamdem vocalem in præteriti singularis quam in præsentis stirpe exhibebant, reduplicatam syl-

labam, præteriti ut pro signo habitam, integram servaverunt, dum distinctio gravioris stirpis (in singulari numero) et levioris (in plurali) paulatim e memoria delapsa est. Nempe ex duabus formis indoeur. **qe-qoịde* et **qoịde* « vocavi » prior tantum in germanicis dialectis viguit, scilicet **he-haite,* ex qua, analogiæ lege, pluralis numerus **he-haitume* (pro **he-hitume*) ortus est. Eodem fere tempore, postquam in omnibus germanicis vocabulis prima syllaba accentum accepit, in præterito quoque prima, id est reduplicata syllaba acuta facta est.

3. Cum quarto et quinto sæculo post Christum natum in Gotorum sermone distinctio illa inter præterita et quæ per reduplicationem, et quæ per apophoniam informata fuerint, manifesto appareat, in ceteris contra Germaniæ dialectis ambæ classes verborum validorum inter se, ut ita dicam, concurrunt. Præterita per apophoniam informata, numero plura, præpollent et opprimunt reduplicata; ita ut postremum ex duabus classibus rursus una facta sit.

In nonnullis enim præteritis reduplicata syllaba, quæ acuta erat, pro legitima stirpe verbi habita est, dum vocalis stirpis, quæ accentus expers erat, paulatim infirmior facta est, inde demum suppressa est aut cum vocali reduplicatæ syllabæ coaluit.

In quibusdam aliis præteritis, accentus quem in omnibus verbis validis stirps accipiebat, analogiæ lege etiam in præteritis per iterationem primæ syllabæ informatis ex reduplicata syllaba in stirpem se contulit. Reduplicata autem syllaba, postquam accentus expers facta est, aut per syncopen aut analogiæ lege mox evanuit.

In paucissimis denique verbis quæ vocalem *e* in præsentis stirpe primitus præbebant, cujus in locum postea vocalis *a* successit, licet conjicias priscum imperfectum (quod eamdem vocalem *e* quam præsens exhibet) vicem præteriti per iterationem primæ syllabæ informati explevisse.

Ita reduplicata præterita in Scandinavorum lingua et dialectis Germaniæ occidentalis paulatim obsoleverunt, dissimilique via et ratione in præterita per apophoniam informata mutata sunt.

DE LITTERARUM TYPIS QUIBUS USI SUMUS

Ad expromenda aut sanscritica, aut germanica et indoeuropæa vocabula, eosdem typos prelo subjecimus quibus aut Bergaigne-Henry (*Manuel pour étudier le sanscrit védique*) aut Brugmann (*Grundriss d. vergl. Gramm. d. idg. Sprachen*) usi sunt. Animadvertendum est tamen nos in sanscriticis et germanicis vocabulis vocalem longam per signum ¯ (*ā, ē, ī,* cet.), vocalem longam et acutam per signum ^ (*â, ê, î,* cet.) designavisse. Per idem signum *g* et velaris et palatalis consona effertur, cum distinctio inter velares et palatales in germanici sermonis historia nullius momenti sit. Denique germanicas spirantes quæ ex indoeur. tenui *k* (*q*) et ex indoeur. mediis aspiratis *bh, gh, dh* ortæ sunt et postea in aspiratam *h* et medias *b, g, d,* mutatæ sunt, cum his ipsis signis *h, b, g, d,* notavimus.

INDEX DECURTATORUM VOCABULORUM

Sunt vocabula quædam quibus iterum ac sæpius uti nobis necesse fuit. Quæ, utcumque apparuerint, solida et integra exscribere, quia nihil aliud efficiebat quam hoc opusculum ultra justos fines sine quæstu legentis extendisse, illorum partem aut extremam aut mediam, ut mos acceptus est, resecuimus. Illud satis perspicuum : cujus autem detractionis cum latinus sermo sit insolens, periculum erat ne minus intelligeret quicumque leget, si decurtata illa vocabula e patrio sermone in latinum converteremus, litterasque, quæ post demptionem superstites manebant, latina lingua singulatim exararemus. Exempli gratia, litteras *ahd.* in grammatico opere quodam repertas nemo non perspiciet quid sibi velint, dummodo ne sit, qui legit, studiorum nostrorum omnino imperitus; vocabulum autem *Alt-Hoch-Deutsch* si latine reddes, tum aut integrum usque servabis, aut, si decurtabis, quis erit qui sensum sit intellecturus ? Quare nos liceat, germanico sermoni operam dantes, eadem, qua germanicus sermo, vocabulorum arctatione uti, et summatim linguarum nomen quas enuntiandi locus erit, germanice enuntiare.

abulg.	altbulgarisch (bulgaricum vetus).
adän.	altdänisch.
aengl.	altenglisch.
afr.	altfriesisch.
ags.	angelsächsisch.
agutn.	altgutnisch.
ahd.	althochdeutsch.

ahd. gl.	Steinmeyer und Sievers: *Althochdeutsche Glossen*. Berlin, 1879, 1882.
air.	*altirisch* (irlandicum vetus).
aisl.	altisländisch.
andl.	altniederländisch.
an.	altnordisch.
anorw.	altnorwegisch.
as.	altsächsisch.
aschw.	altschwedisch.
av.	avesticus sermo.
bair.	bairisch.
Beitr.	*Beiträge zur Geschichte der Deutschen Sprache und Literatur* hgg. von H. Paul und W. Braune. Halle, 1874-1891.
Beow.	Beowulf.
Conf.	Confessio (altsächsische Beichte).
Cott.	Cottunianus codex.
dor.	dorica dialectus.
fr.	franciscus sermo.
germ.	germanicus sermo.
Gl.	Glossæ.
Gl. L.	Glossæ Lipsianæ.
Got.	gotisch.
Gr.	græcus sermo.
H.	Heliand.
hom.	homerica lingua.
I.	Aiwageljô þairh Iôhannen.
indoeur.	indoeuropæa lingua.
ital.	italicus sermo recentior.
K. k.	Du Korinþium A; Du Korinþium anþara.
K. Zs.	*Zeitschrift für vergleichende Sprachforschung*, hgg. von (Th. Aufrecht), Ad. Kuhn (F. Kuhn und J. Schmidt), Berlin, Dümmler, 1852-1891.
L.	Aiwaggeljô þairh Lukan.
longob.	longobardicus sermo.
lapp.	lappicus sermo.
lat.	latina lingua.
lett.	letticus sermo.
lit.	lithuanicus sermo.
M.	Aiwaggeljô þairh Marku.
md.	mitteldeutsch.
mhd.	mittelhochdeutsch.
mndl.	mittelniederländisch.
Mon.	Monacensis codex.
Neh.	Nehemias.
neuschw.	neuschwedisch.
nhd.	neuhochdeutsch.

north.	northumbrisch.
obd.	oberdeutsch.
on.	ostnordisch.
ostfr.	ostfriesisch.
p.	præteritum.
p. p.	participium perfecti.
pr.	præsens.
prægerm.	prægermanicus sermo.
PS.	Altniederdeutsche Psalmen.
R.	Du Rumônim.
scr.	sanscritica lingua.
Sk.	Skeireins aiwaggeljôns þairh Iôhannen.
T.	Du ~~Teitan~~. Tim. 4. I
Th. th.	Du þaissalauneikaium a. — Du þaissalauneikaium b.
urn.	urnordisch.
wfr.	westfriesisch.
wgerm.	westgermanisch.
wn.	westnordisch.
ws.	westsächsisch.
Zs. f. d. A.	*Zeitschrift für deutsches Alterthum.*

INDEX LIBRORUM QUÆ MIHI SCRIBENTI PLURIMUM PROFUERUNT

A. Bergaigne, *Manuel pour étudier la langue sanscrite*. Paris, 1884.

A. Bergaigne et V. Henry, *Manuel pour étudier le sanscrit védique*. Paris, 1890.

E. Bernhardt, *Die Gotische Bibel des Vulfila nebst der Skeireins, dem Kalender und den Urkunden*. Halle, 1884.

J. Bosworth, *An Anglo-saxon dictionary based on the manuscript collections of the late J. B. edited and enlarged by T. N. Toller*. Oxford, 1882-1887.

W. Braune, *Gotische Grammatik*, 2te Aufl. Halle, 1882.

— *Althochdeutsche Grammatik*. Halle, 1886.

O. Bremer, *Germanisches ē. I. Die lautgesetzliche Entwicklung des idg. ē in den ältesten germanischen Sprachen. II. Der idg. Ablaut ē ō ā im Germanischen*. Beitr. XI, 1 sqq., 262 sqq.

K. Brugmann, *Grundriss der vergleichenden Grammatik der indogermanischen Sprachen*. Bd. I. Einleitung und Lautlehre. Strassburg, 1886.

R. Cleasby and G. Vigfusson, *An icelandic-english Dictionary*. Oxford, 1874.

Cosjin, *Altwestsächsische Grammatik*. Haag, 1886, 1888.

E. Ernault, *Du Parfait en grec et en latin*. Paris, 1886.

S. Feist, *Grundriss der gotischen Etymologie*. Strassburg, 1888.

E. G. Graff, *Althochdeutscher Sprachschatz*. Berlin, 1834-1846.

J. und W. Grimm, *Deutsches Wörterbuch*. Leipzig, 1854-1890.

C. Günther, *Die Verba im Altostfriesischen*, Diss. Leipzig 1880.

W. L. van Helten, *Altostfriesische Grammatik*. Leeuwarden, 1890.

V. Henry, *Précis de grammaire comparée du grec et du latin*. 3e éd. Paris, 1890.

M. Heyne, *Hêliand mit ausführlichem Glossar herausgegeben*. 3tte Aufl. Paderborn, 1883.

— *Kleinere altniederdeutsche Denkmäler mit ausführlichem Glossar herausgegeben*. Paderborn, 1877.

A. Hœfer, *Gotisch saizlêp*. Germ. XIV, 224.

J. Hoffory, *Die reduplicirten Præterita im Altnordischen* (Zeitschrift für vergleichende Sprachforschung, XXVII, 593-602).

Ferd. Holthausen, *Die reduplicirenden Verba im Germanischen* (Zeitschrift für vergleichende Sprachforschung, XXVII, 618-622).

F. HOLTHAUSEN, *Zu den altniederländischen Denkmälern*. Beitr X, 576 sqq
M. H. JELLINEK, *Germanisch ē²*. Beitr. XV, 297 sqq.
F. KLUGE, *Etymologisches Wörterbuch der deutschen Sprache*. 4te verbesserte Aufl. Strassburg, 1889.
— *Beiträge zur Geschichte der germanischen Conjugation*. Quellen und Forschungen, XXXII. Strassburg, Trübner, 1879.
H. LEO, *Angelsächsisches Glossar*. Halle, 1877.
Leo MEYER, *Vergleichende Grammatik der griechischen und lateinischen Sprache*. 2te Aufl. Berlin, 1882-1884.
Adolf MOLLER, *Die reduplicirenden Verba im Deutschen als abgeleitete*. Potsdam, 1866.
A. NOREEN, *Utkast till Föreläsningar i urgermansk judlära*. Upsala, 1890.
— *Altisländische und Altnorwegische Grammatik, unter Berücksichtigung des Urnordischen*. Halle, 1884.
H. OSTHOFF, *Zum grammatischen Wechsel der velaren K-reihe*. Beitr. VIII, 256 sqq.
— *Ueber Aoristpræsens und Imperfectpræsens*. Beitr. VIII, 287 sqq.
— *Zur Reduplicationslehre*. Beitr. VIII, 540 sqq.
— *Etymologica I*. Beitr. XIII, 395 sqq.
— *Zur Geschichte des Perfects im Indogermanischen mit besonderer Rücksicht auf Griechisch und Lateinisch*. Strassburg, 1884.
H. OSTHOFF und K. BRUGMANN, *Morphologische Untersuchungen auf dem Gebiete der indogermanischen Sprachen*. I-V. Leipzig.
H. PAUL, *Grundriss des germanischen Philologie*. Bd. I. Strassburg, 1889-1890.
Ign. POKORNY, *Ueber die reduplicirenden Præterita der germanischen Sprachen*. Bericht des Landskroner Gymnasiums von 1874.
F. DE SAUSSURE, *Mémoire sur le système primitif des voyelles dans les langues indo-européennes*. Leipsick, 1879.
K. von RICHTHOFEN, *Altfriesisches Wörterbuch*. Göttingen, 1840.
O. SCHADE, *Altdeutsches Wörterbuch*. 2te Aufl. 1872-1882.
W. SCHERER, *Zur Geschichte der deutschen Sprache*, 2te Aufl.
E. SCHULZE, *Gothisches Glossar*. Magdeburg, 1847.
Th. SIEBS, *Der Vocalismus der Stammsilben in der altfriesischen Sprache*. Beitr. XI, 205 sqq.
E. SIEVERS, *Kleine Beiträge zur deutschen Grammatik*.
— II. *Die reduplicierten Præterita*. Beitr. I, 504 sqq.
— V. *Altnordisch* heita, *heissen*.
— VI. *Germanisch ōu*. Beitr. VI, 561 sqq.
— *Angelsächsische Grammatik*, cf. Beiträge, IX, p. 284 sqq.
S. SINGER, *Zum althochdeutschen Vocalismus*. Beitr. XI, 287 sqq.
W. D. WHITNEY, *The roots, verb-forms and primary aerivatives of the sanskrit language*. Leipzig, 1885.

INDEX VERBORUM

QUÆ REDUPLICATUM PRÆTERITUM

IN GERMANORUM LINGUA ANTIQUIORE DEMONSTRANT

INDEX SANSCRITICORUM VOCABULORUM

INDEX GRÆCORUM VOCABULORUM